







ECLOGAE
RECENTIORVM ALIQVOT
POETARVM
PRAESTANTIORES.

IN FINE ADDITVM EST
GVLIELMI MASSIAEI
CARMEN ELEGANTISSIMVM
CAFFAEVM.



ERFORDIAE
SVMTIBVS G. A. KEYSERI CIↃ IↃ CC LXXXIII.

ALVMNIS
TRIVM
PER SAXONIAM ELECTORALEM
SCHOLARVM PRINCIPALIVM
LATINAE POESEOS AMANTIBVS,

S. P. D.

mea.

Vobis, Saxonici soli beata

O cimelia, quae benigna iussit

Cura Mauricii pii tenebris

E spissis monachorum ineptiarum

Prodire, vt fieretis optimarum

Artium, iuuenumque idoneorum

Nutrices, puerosque amoeniora

Musarum alliceretis ad vireta;

Vobis hunc igitur simulque vestris

Librum dedico consecroque alumnis:

Vt vestrum ex animo decus pre-
catus

Plus vno vigeat perenne seclo.

P. G. B.

Lectori Beneuolo S.

Operaene pretium fecerim, quod hanc collectionem aliquot eclogarum typis excudi denuo curauerim, nec sat scio, nec si sciam dicere ausim; quippe cum plerique iudicaturi sint, hominem meae professionis medicis quid in publicum proferre potuisse, quod et perfectum esset ingenio et elaboratum industria, et si quam laudem captare voluissem, plenam saltem omnium carminum huius generis recensionem instituendam fuisse. Iam equidem non sum adeo mihi Suffenus, vt me

meaque unice suspiciam, et quicquid in mentem venerit, admirer, cum potius iis accersendus sim, qui aliorum scripta libentius legant, quam prela suis fatigent scriptiunculis; praesertim cum hanc mihi legem sanctissime servandam animo penitus infixerim, ut quod muneris impositi mihi religio postulat, ad excolendos potius et fingendos iuvenum animos incumbam, quam scribendo seculi laudes aucuper: attamen si iudicibus aequis rationem et consilium exposuero, quod in hoc genere secutus sum, me facile veniam impetraturum spero. Variis nimirum temporibus alumnis scholae nostrae provincialis Portensis carminum latine scribendorum necessitas imposita est, ut singulis diebus festis, qui qua-

ter

et redeunt quotannis, aliisque praeterea oc-
casionibus. Cum in eiusmodi carminibus vna
fere ac simplex dominetur materia, quae adeo
iterum iterumque tractanda est, optabam, vt
eam materiem in varias saltem formas, verbi
caussa, in formam carminis pastoritii trans-
fundere discerent disciplinae nostrae alumni.
Sed videbatur iis non magna satis exemplo-
rum copia suppeditare, ad quam, tanquam ad
normam, sua componerent; ideoque facile in
eam sententiam adducebar, vt crederem, si
quem inuenirem bibliopolam, qui ei rei sum-
tus impenderet, me non male iuuenum ratio-
nibus consulturum esse, ipse si talia propo-
nerem eis exempla, adeoque et diligentiam
illorum excitarem, et ingenium etiam quo-

)(4 dam-

dammodo acuerem. Inuentus est, Keyserus, Vir honestissimus, qui se sumtus facturum promitteret atque in se reciperet, hac tamen lege et conditione, vt ne moles libelli vltra duodecim plagulas octuplicatas excresceret. Habes igitur, humanissime Lector, rationem et instituti mei, et determinatae magnitudinis, ita, vt verbum vlterius addere non opus videatur. Si quis tamen sit, qui plura eiusmodi carmina cognoscere aueat, illi euoluendae sunt Deliciae poetarum Germanorum, Italorum, Gallorum, Batauorum, vbi largam eorum messem inueniet. Inprimis in noua editione Deliciarum poet. Ital. quae prodiit Florentiae MDCCXIX titulo Carminum illustrium poetarum Italorum, Tomus II. con-

sed maximam prope partem Io. Boccaccii Eclogis XVI. quas tamen non adeo elegantes mihi visae sunt. Reperies quoque magnum numerum Eclogarum in Arcadum Carminibus, quae Romae prodierunt MDCCLVII. Extant praeterea Poetarum Polonorum carmina pastoralia e Bibliotheca Zalusciana Altenburgi apud Richterum cIↄ Iↄ CC LXXIX cura Boehmii edita. Quodsi igitur hoc nostrum institutum non displicuerit iuuenibus harum lautitiarum cupidis, poterit fortasse aliquando altera pars priorem hanc consequi, quae ceteras quoque recentiorum poetarum eclogas complectatur, inprimis Baptistae Mantuani, Pomponii Gaurici Neapolitani, Antonii Geraldini et aliorum, vt, quemadmodum antiquiores Buco-

liti, ita et recentiores vno corpore compre-
hensi legi possint. At enim, forte mihi quis
hic aurem vellat et acclamet: heus tu, an te
fugit Illustr. Heynium in diatribe iudicandae
subtilitatis atque elegantiae, Eclogis Maro-
nis praemissa, iustum pretium cunctis recen-
tiorum poetarum eclogis statuisse, easque pro-
pe cunctas rusticitatis et inelegantiae damnasse.
Audio, viri boni! neque sum nescius Virum
Summum sententiam illam tulisse vt subtilissi-
mam, ita haud scio an non nimis duram, et
in omnes propemodum poetas Bucolicos in-
iuriam. Ex quo Francogallus Le Bossu com-
mentationem de carmine epico scripserat, nemo
non commotus huius hypercritici iudicio vnice
Homeros et Virgilios pro poetis habebat, Va-

rorum Flaccum, Lucanum, Statium contemnebat, propterea quod non essent hi Virgilio atque Homero omnibus similes. Venit deinde e nostratibus Durchius Vir Cl. qui exorbitantem iudicii Gallici intra iustos fines compelleret et coerceret. Is docuit Homerum et Virgilium esse praestantissimos carminis epici conditores, sed neque alios poetas heroicos contemnendos, sed certas classes eorum constituendas et suum vnicuique poetae pro merito pretium assignandum esse. Similiter se res habere videtur ratione carminum bucolicorum. Schlegelius subtilissimus et seuerissimus horum carminum exactor, tanquam criticus et magister artis, qui summam semper ideam persequitur, recte et vere declara-

uit

uit, vim et naturam carminum pastoralium cum docuit, materiam illorum inprimis libertatis, innocentiae, simplicitatisque, in vita pastorum conspicuae, commendatione ac praedicatione constare debere. Enimvero an carmina, quae alias res pastoritio modo tractant, non erunt nomine eclogarum insignienda? Nimis durum hoc fuerit, ita vt multae Eclogae et Theocriteae et Virgilianae inducendae sint, vt ipse Heynius V. S. obseruauit, et e numero carminum bucolicorum eijciendae. Ignoscet igitur mihi Vir Doctissimus, si meam sententiam ab ipsius iudicio seiungendam existimo. Ego enim mihi persuasi, in constituendis carminum generibus non esse materiam unice spectandam, sed semper coniuncte

ma-

suavitatem et fortitudinem; ita, ut si hic utraque talis, quidem genus quoddam carminis postulet, tum sane perfectissimum carmen et absolute habeatur; ubi vero alterutra deest, tum minus perfectum carmen oriatur quidem, carminis tamen nomine haudquaquam privandum; licet ad aliud genus iure referatur. Haec regula brevibus proposita patet latius, et ad omnia carminum genera transferri potest, quo tamen labore hic supersedeo, satis habens ad vindicanda carmina bucolica eam attulisse. Quid igitur est? Nimirum certae quaedam classes constituendae sunt, sicut in carminibus heroicis. *Prima classis* continet ea carmina bucolica, quae iucundissimam imaginem et amoenitatis vitae rusticae pingunt

cun omni-

omnibus curis solutae ac liberae, [illegible] rerum, quae ex eiusmodi vita otiosa proueniunt. *Altera classis* eas complectitur eclogas, quae ipsam aetatem auream repraesentant quodam modo, et ex eo homines, qui in ea vixerunt, deos, deasque, Nymphas, heroas exhibent, iisque carmina quaedam tribuunt. *Tertia classis* constituitur illo genere, quo, ad animi voluptatem, factum et casus nostrorum temporum coloribus et pigmentis a vita pastoritia petitis, ornatur et ad modum fabulae bucolicae tractatur; cuius generis sunt aliquot Idyllia Theocriti et Virgilii, recentiorumque poetarum carmina pleraque fere omnia. *Quartum et ultimum genus* vindicat sibi illas eclogas, quae ad imitationem pastoralium carmi-

num

num factae sunt, et nauticas, venatorias, hortenses aliasque eclogas nobis sistit. Quanquam igitur ego non sum is, qui negem, primum genus esse carmen bucolicum perfectissimum; idem tamen ego contendere quoque audeo, nec cetera genera spernenda esse, aut e numero bucolicorum proscribenda. Neque enim fas esse videtur, ingenium poetae tam angusto includere orbe, nihil ut audeat et scribat, nisi quod criticorum supercilia permiserint. Modo placeant et delectent carmina tua, et muneri tuo fecisse te satis existimato. Equidem multo pluris fecerim iuuenem, qui carmen pastorale vel infimi generis mihi scribere queat, quod placeat et ad legendum inuitet, quam qui criticum agat subtilissimum,

neque quidquam componere possit lectu dignum, quae fere sors est eiusmodi ingeniorum; vti exemplo Iul. Caes. Scaligeri magni illius hypercritici patet, cuius versus, quos ipse composuit, plerumque sunt illepidi, inelegantes, duri, asperi, horribiles. Legant igitur iuuenes praesentia carmina bucolica eaque imitentur assidue, non veriti iudicium cuiuspiam, quicunque tandem ille fuerit, certissimeque sibi persuadeant, non fore illud studium frustraneum et inane quod poesi, inprimis quoque bucolicae impenderint. Scriptum in illustri schola Portensi, ipsis Calendis Maiis. clↃ IↃ CC LXXXIII.

IO. BAPTIST. AMALTHEI

ECLOGA I.

Lycidas.

His deploratam in siluis, nemorumque latebris
Dicemus Lycidae Musam; quem flumina circum
Quem fleuere suo spoliati gramine colles.

Tu modo, cui patriae assurgunt iam libera regna,
Aureaque aeterno reuocantur secula mundo,
Cosme, ades, et nostris nunc primum allabere coeptis.
Ipse tibi Pario ponens de marmore templum
Graminea in ripa, qua Tuscus labitur Arnus,
Velocis quondam instituam certamina cursus:
Illic victor ouans, et praemia debita laudi
Accipiet, populisque suos testatus honores,
Victrices referet Tyrrhena per oppida lauros:
Interea agrestes ne dedignare Camenas.

Pallida cedebant venienti sidera soli
Cum Lycidas iussus terras lustrare repostas
Effudit miseros extremo hoc carmine questus:
Formosi colles, et Nymphis cognita rura,
Et liquidi fontes, atque addita fontibus antra
Siluarumque valete vmbrae; quae dulcia nobis
Otia, quae caros olim peperistis amores.
Iam me complexu eripiunt fata impia vestro,
Vt videam iratas errantia monstra per vndas,
Desertoque iterem moestos in littore questus.
Quodsi quando ima audistis sub valle canentem
Pastorem Lycidam, teneros dum pasceret agnos;
Idem si tenui vobis allusit auena:
Hoc saltem viridi signatum in cortice carmen,
Suspensamque sacra lauro defendite auenam,
Quam non vlla dies superet, non ulla vetustas.
Hinc ego ad ignotos saltus et vasta Pyrenes
Rura vocor (quis enim tanto caruisse recessu,
Et sese dubiis committere fluctibus vltro
Crederet ah miserum Lycidam?) feliciaque arua
Deserere, et notis cogor decedere siluis.
Ipse igitur pecudes alio sub sole requiram:
Externasque petam diuersa per aequora terras.
Nec mihi iam blando decurrens murmure riuus
Herbarum in gremio suadebit carpere somnos:
Nec teneris posthac incidam Amaryllidis ignes

Arbor

Arboribus, quam mille greges comitantur euntem:
Quae mecum inter oues, atque inter opaca salicta
Suerat odoratis intexere lilia sertis,
Aut defessa leui componere membra sopore.
Ah dolor, et patriae fines, et commoda curis
Parta meis, semperque virentia prata relinquam:
Scilicet vt surdis iactem lamenta procellis,
Et patrias medio suspirem in gurgite sedes.
Me non excipient herboso margine ripae:
Non salientis aquae gelida sub rupe susurrus,
Non dorso nemoris solabitur aura iacentem.
Spirabant dulces Zephyri, spirantibus illis,
Cantabam, quo sole pyrum, quo sidere vitem
Insererem, et certis mandarem semina sulcis.
Vos veris comites aurae, Diuûmque ministrae:
Quandoquidem coelo infertis mortalia vota:
Vos placidae saluete aurae, mecumque per aequor
Atque per insuetos mecum decurrite campos.
Huc gemitum, et nostras referetis saepe querelas;
Quas fors accipiat madidis Amaryllis ocellis,
E nostri desiderio crudelius ardens.
O mihi si veteres recolens Amaryllis amores
Illacrimet, si sollicito suspiria corde
Ducat, et insanis reuocet me tristis ab vndis!
Forsitan indignos terraeque marisque labores
Hinc tandem querar: et vacuo resupinus in antro

Te fugiente die, te decedentibus astris
Tunc Amarylli canam. Sed iam his diuellor ab agris
Rura valete iterum: sic vobis mella genistae
Sic inarata graues tellus effundat aristas;
Pabulaque vt longo tondent sub sole iuuenci,
Exigua sic nocte nouis ros vestiat herbis.
Aurea mala prius sterili nascentur in alno,
Atque inculta ferent mites dumeta racemos,
Quam vestri curam abiiciam. Tamen altera rura
Ipse colam, audaci permensus caerula pinu.
Ergo et oues custode alio per pinguia prata
Errabunt, pastaeque simul caua in antra redibunt.
Tu vero spes fida gregis, quaenam arua pererres
Infelix aries? quis te in conualle reducta
Nunc molli viola, croceis nunc floribus ornet?
Gramineosque toros viridi de cespite ponat?
At vos, o lauri, quarum fragrante sub vmbra
Et nostra insolitis caluerunt pectora flammis,
Nostraque Moenalios meditata est fistula cantus;
Sic ver assiduum foueat, neu frigora laedant;
Neue vnquam laeto rami spolientur honore.
Ipsi etiam auratis assurgant cornibus amnes
Supra Indum et Gangem: lacrimis quos saepe profusis
Auximus, et nostro late succendimus igne,

Cum

Cum me ad delicias formosa Amarylli vocares.
Nunc vero, quoniam Superi tot gaudia nobis
Inuidere, trucis tentare pericula ponti,
Atque Pyrenaeo considere vertice certum est.

ECLOGA II.

Acon.

O qui Dictaei statuat me in vertice montis,
Aut fortunatos Erymanthi sistat ad amnes,
Vt saturis panacen calathis; vt molle cyperon
Dictamnumque legam, et fragrantia germina myrrhae,
Et releuem infirmos artus languentis Hyellae.
Illa quidem vix aegram animam sustentat anhelo
Pectore, et indignis singultibus interrumpit;
Nec vis vlla potest saeuum lenire dolorem.
Illam etiam lacrimantem, etiam sua fata querentem
Stellarum vigiles ignes et primus Eous
Et sol Hesperias vidit deuexus ad vndas.
Sol pater, aeterno coelum qui lumine lustras,

Et quaecunque parit tellus vegetasque fouesque,
Adfer opem, et moestam auxilio solare puellam.
Iam tibi Acon teneras vicina ad flumina lauros
Inferet, atque vt nil vnquam surgentibus obstet
Frondibus, auertet glaciem, et defendet ab aestu.
Has tibi Acon. At si macies, si pallor Hyellam
Liquerit, et niueos decorarit purpura vultus,
Ipsa feret, cum ver nitidis se floribus ornat,
Ipsa feret mites cum stringit vinitor vuas.
Scilicet, et viridi in ripa, qua se hospita densis
Extendit ramis arbos altaria ponet,
Semper flore nouo, semper quae vestiat herbis.
Illic agrestum chorus et vicinia ruris
Sacra feret, supplexque tuos cantabit honores;
Straueris vt quondam iratis Pythona sagittis,
Tinxeris et foedo victricia tela cruore.
Mille tibi aeria pendebunt spicula quercu,
Mille arcus, atque apta suo venabula ferro.
At vos, quae nemora et rorantia fontibus antra
Incolitis Nymphae, vestras si saepius aras
Verbena, primisque rosis donauit Hyella,
Et dedit aureolis insignia serta corymbis,
Vos ferte Eoos ditantia cinnama lucos,
Felicemque Arabum messem Assyriosque liquores,
Vos aegram refouete, et tristes pellite morbos.
En virgo, exanimis virgo tabescit; et ille

Ille

Ille decor roſeo iamiam defloruit ore.
Qualis purpureus ſecreta in valle hyacinthus,
Quem mater tellus aluit, gremioque receptum
Eduxit largo rore, et felicibus auris,
Si coeli inuaſit vitium, aut immanior auſter,
Paullatim laeto formae ſpoliatus honore
Deficit, et moriens arentibus incubat herbis.
Nunc etiam inſuetos teſtantur rura dolores,
Et deſolatis ſqualeſcunt pabula campis:
Pro viola mediis horret paliurus in agris.
Candidaque inflexo ceciderunt lilia thyrſo
Et nulla irriguas pingunt vaccinia ripas,
Et deſunt nemori frondes, et gramina pratis.
Fons quoque deſiliens praerupti tramite cliui
Contraxit liquidas nunc terrae in viſcera venas:
Et deſiderio formoſae accenſus Hyellae
Vix fertur tenui per laeuia ſaxa ſuſurro.
Abde caput miſerande, et fracta turbidus vrna
Muſcoſo occultare ſitu, caecisque latebris.
Non eſt quae vitreis tecum colludat in vndis.
Abde caput miſerande, cauoque incluſus in antro
Et lucem indignare, et aperti lumina coeli:
Non eſt quae blando currentem carmine ſiſtat:
Non eſt quae dulces latices dulci hauriat ore.
Crudeles morbi, veſtro de ſemine labes
Inſedit roſeisque genis, roſeisque labellis,

Deiecitque decorem oculis; et saeuior eheu
Ingruit, et miseram siluis auertit Hyellam.
Ah ne dira lues contagia proferat vltra:
Ah ne artus vltra, pallentiaque occupet ora.
Parcite iam tenerisque genis tenerisque labellis.
Et color, et pulcrae redeat sua gratia formae.
Tu vero, mea Hyella, meae pars altera vitae;
Pone metum, en tibi Paeonios fert munera succos
Ipsa Pales, alacresque ferunt sua dona Napaeae,
Costumque Illyricamque irin, vescumque papauer.
Quorum ope et effoeto fugiant e corpore morbi,
Et placidus fessis obrepat somnus ocellis.
Iamque pedem in siluas referes, notosque recessus:
Aduentuque tuo, fonti cursum vberis vndae,
Et nemori frondes et pratis gramina reddes:
Et foecunda nouis ridebunt frugibus arua,
Et tibi odoratos submittet terra colores.

Ecloga III.

Corydon.

En iterum me rura vocant dulcesque recessus
En iuuat agresti meditari carmen auena

Propter

Propter aquam, vmbroſo qua lenior aura ſalicto
Murmurat, et liquidis Atheſis circumfluit vndis.

Tu quoque, dum magnus tibi ſuggeret otia Caeſar,
Madruti heroum genus, et Diis aemula proles,
Paſtorum aſſueſce hoſpitiis, atque arboris vmbrae.
Hic paſſim in molli ponent altaria ripa
Agricolae, et plenis ſtatuent conuiuia menſis;
Vt tibi lacte nouo libent et pinguibus agnis;
Sollemnesque ferent pompas, ne ſidera Diuis
Inuideas: ſed et ipſe hominum iam vota ſecundes.
Ergo ades, et tenuis luſus ne deſpice Muſae.
Nam fortunati moles vbi celſa Tridenti
Tollitur, haec vacuas Corydon iactabat ad auras:

Felices aurae, quae circum roſcida culta,
Mollibus incinctae Zephyris et vere perenni
Aeternos alitis flores, et amoena vireta:
Vobis Idalia e myrto, ac Peneide fronde
Conſtituit lucum, viridique e ceſpite ponit
Septem aras Corydon muſcoſi fontis ad vndam.
Vos lenite aeſtus, atque alludente ſuſurro
Mulcete ardentis radiantia lumina ſolis.
Sic nunquam veſtros obſcurent nubila curſus;
Sic tellus vobis, ſic vobis rideat aequor.

 Iam

Iam ſiluas mea Niſa colit, iam cincta pharetram
Audet obire nemus, celeresque auertere damas;
Nec timet ingentem clamore impellere ceruum.
Inuideo vobis aurae: adſpiratis eunti.
Illa petit montes et inhoſpita luſtra peragrat
Venatrix arcu inſignis, leuibusque ſagittis.
Et ſiue aeriae luſtrat latera ardua rupis,
Seu vaſtos nemorum ſaltus indagine cingit,
Vos fidae comites eſtis, ſociaeque laborum.
Audax heu nimium! ſolos errare per agros,
Et ſumma intonſi ſuperare cacumina montis
Haud tutum eſt. Hic toruus aper conſurgit in armos;
Multa hic monſtra acuit rabies et dira cupido.
Multae hic inſidiae. Non eſt Dea neſcia fraudis,
Quae violas, Siculaque legens noua ſerta ſub Aetna
Infelix rapta eſt horrentes Ditis in vmbras,
Infelix timuit manes, et triſtia regna;
Infelix late ardentes exhorruit amnes.
Tu quoque, ſaeue Aquilo, per deuia rura vagantem
Arripuiſti auidis complexibus Orithyiam.
Saeue Aquilo, hinc auerte dolos et flamina pone.
Vos vero tenues animae, rorantibus alis
Et coelo regnate, et iniquum arcete calorem.
Inuideo vobis aurae: vos carmine blando
Detinet,

Detinet, et roſeis exceptat Niſa papillis,
Aut gremio herbarum, aut vacuo proiecta ſub antro
Illic et noſtros ſecum meditatur amores.
Adſurgunt ſiluae et tacito ſtant gutture circum
Intentae volucres, et curſus flumina ſiſtunt,
Dum canit, arridet pleno tum lumine coelum:
Nunc intertexto vaccinia pingit acantho
Nunc gaudet niueis cultum variare liguſtris
Nunc etiam gracili calathos detexere hibiſco.
Quodſi languentes ſomno declinat ocellos
Paullatim rapido feſſam refouetis ab aeſtu:
Et laeto ambroſios motu ſpiratis odores.
Inuideo vobis aurae: luſtratis opaca
Siluarum hoſpitia, incuſtoditosque receſſus:
Et noſtis, quo Niſa iugo, qua valle reſidat.
Illa quidem duris ſeſe venatibus aptat,
Cum matutino perfundit gramina rore
Lucifer, atque auium reſonant concentibus agri.
Sed prius inflexo quam lucos terreat arcu,
Arbuteis aries euinctus cornua ſertis
Florentem ad cytiſum atque ad pabula nota vocatur.
Fortunate aries; te non felicior alter;
Non qui per tumidas aurato tergore Phryxum
Vexit aquas, et nunc formoſa intermicat aſtra.
Te virides hederae, te mollis amaracus ornat,
Et modo laſciuo detondes paſcua morſu

Aſſuetus

Assuetus campis; placidi modo sibila venti
Excipis, et pulsae miraris murmura siluae.
O ego si possem niueo tua vellera dorso
Induere, et patulae praetendere cornua fronti:
Cum se nocte domum praedis onerata cruentis
Nisa refert, et te consueta ad septa reducit!
Tunc mihi porrigeret ferrugineos hyacinthos
Ridentesque crocos: tunc oscula dulcia furtim
Virgineis ferrem manibus: laetusque petulco
Prosequerer cursu properantem ad tecta puellam.
At vos o magno notae Ioue, vos ego multa
Saepe prece, et vario venerabor munere florum,
Felices aurae, quae circum roscida culta
Mollibus incinctae zephyris, et vere perenni
Aeternos alitis flores, et amoena vireta.

Ecloga IIII.

Sarnus.

Has inter salices, vacua proiectus in vmbra;
Dum placidae spirant aurae, pronisque susurrat
Flumen aquis, miseros Sarni meditabor amores;
Vtque

Vtque ſuo lacrimans de nomine fecerit amnem,
Has inter ſalices referam proiectus in vmbra.

Tu mihi ſeu veteres miraris Tibridis arces,
Seu iam Pauſilypi laetis in collibus erras,
Annue, Maenaliam non aſpernatus auenam:
Ipſe tibi (niſi Fata vetent) incognita menſus
Aequora, et optata quondam tellure potitus,
Ter centum Hadriaco deducam e littore puppes,
Certantes curſu puppes; oſtroque decorus
Victori pretium ſtatuam, et noua munera ponam,
Stans celſo in ſcopulo, ac notas procul aere ciebo.
Nunc vero, Coruine, humilem ne deſpice Muſam.
Namque olim gelido feſſus ſucceſſerat antro
Sarnus, et argutis complebat ſaxa querelis
Lyriopen fruſtra per devia rura ſecutus;
Lyriopen, qua nec melior, quae flecteret arcus,
Nec fuit intacta praeſtantior altera forma.
Viderat hanc male ſanus amans ſub valle iacentem,
Vt forte accliuis gremio conſederat herbae;
Viderat, et ſubitum defecta per oſſa furorem
Corripiens, tacitoque dolos in pectore verſans,
Explorabat iter, facilesque ad furta latebras.
Illa ubi ſe viſam agnouit, iam conſcia fraudis,
Erubuit; totosque repente expalluit artus.

Atque

Atque exosa virum, et volucri pernicior Euro
Praeruptos superat montes et inhospita lustra.
At Sarnus, quanquam et senio genua aegra labant, et
Diffugiens virgo saltus euaserat altos,
Lyriopen tamen insequitur, spe captus inani.
Quem postquam inualido sensit confidere cursu
Aeriis assueta iugis, et credita certae
Nympha fugae, summa e specula se ostentat amanti:
Brachiaque enudat puro candore recentes
Excessura niues, quas nec violauerit aestus.
Interea impatiens exuritur acrius heros:
Ac veluti arentes si quando decidit ignis
In stipulas, rapidae crescunt per pabula flammae,
Non aliter mojora senex incendia pascit.
Quid faciat? sentit grauius caluisse medullas,
Et defessa nouo succumbere membra labori.
Quid faciat? durae superanda cacumina rupis
Prospicit, accensoque trahens suspiria corde,
Incusat deserta loci; quo candida virgo
Et sperata vocant solatia. Tum furit amens,
Affectatque viam, et cursu nemora auia transit.
Iamque alacri propior Nymphae suspirat, et eheu
Gaudia nequicquam visus sperare, quid, inquit,
Ocyor effugias? neque enim indulsisse precanti
Te modo poeniteat, cui sit mea forma pudori.

Me

Me quoque (si quid id est) Nerei pulcherrima proles
Deperit Eurynome, quae largo nectaris haustu,
Et latis pelagi campis donaret amantem.
Illa tamen fugitura, senem ridebat anhelum:
Tum se proripiens, studioque intenta ferarum
Quaesiuit socias obscuro tramite Nymphas
Verum ubi deceptos cognouit Sarnus amores,
Infelix, (quid enim tanto superesse dolori?)
Ingentemque dedit gemitum et diuertit ad antrum,
Vastum, immane antrum, clausumque horrentibus vmbris
Illic sollicito cautes plangore replebat,
Lyriopen cum se e magno sol gurgite tollit,
Lyriopen sub nocte querens atque irrita vota.
Ah quoties lamenta leues iactauit ad auras,
Quid lucem moror inuisam? quin vita querentem
Deseris? et tantos mauis abrumpere luctus?
Ah quoties laeto spoliati gramine colles
Conuallesque cauae, circumque sonantia saxa
Et volucres vario geminasunt gutture questus?
Illum Naiades raucis fleuere sub vndis:
Illum etiam moestos deplorauere per agros
Exanimes Nymphae, desolatumque vlulatu
Impleuere nemus: viduataque frondibus arbos
Aruit, et nullae siluas coluere Napaeae;
Mox exhausta senis consumtaque lumina fletu

In

In fontes lacrimarum abeunt; tum corpore toto
Liquitur, et vasto tandem diffunditur antro
Et vada iam placido percurrit flumine Sarnus.

ECLOGA V.

Silis.

Praeuius Eoo fulgebat Lucifer ortu:
Et matutina resonabant alite siluae,
Cum nondum orta dies incerta crepuscula coeli
Paullatim soluit, magnoque e gurgite tollens
Phoebus equos iamiam pallentia sidera condit.
Tum primum ecce Silis liquidis sese extulit vndis
Ingentes humeros glauco velatus amictu,
Centum cui vitreis famulantur Naiades vrnis,
Pars violam, et vario texunt vaccinia cultu,
Candidaque ambrosio perfundunt membra liquore;
Pars etiam aurato deducunt stamine fila,
Aut saturant Tyrio Milesia vellera fucco,
Cymodoce, Xanthoque, Thoeque et coerula Dryme,
Atque Ephyre, atque Hyale, flauisque Arethusa capillis.

Inter

Inter quas experta nouos Galathea hymenaeos
Enitet, et molli componit lilia musco,
Aut pingit nitidis baccata monilia gemmis,
In medio Silis vndanti late imperat amni;
Cui toruam adstringunt argentea cornua frontem
Centenique fluunt herboso e pectore riui.
Ille alta sub rupe iubet consistere circum
Flumina; quo iussu cursus frenantur aquarum,
Et ponunt taciti crepitantia flamina venti.
Ipse autem canit, vt nascentis semina mundi
Acciperent diuersa suis exordia caussis:
Vtque olim induerent primas animalia formas.
Tum quae vis montes, et cinctas moenibus vrbes
Concutiat, vastique agitet tumida aequora ponti.
Tum miserum Halcyonen et cari coniugis vmbras;
Demersamque refert mediis in fluctibus Hellen.
His infelices adiungit Adonidis ausus.
Saepe Venus puerum, tristi deterrita fato,
Ad tenerum amplexum, atque ad dulcia furta vocabat.
Parce puer siluis, sunt multa pericula siluis:
Huc ades, et mecum placido iunge oscula lusu.
Ah tibi ne rapidis vrantur solibus ora;
Neu saeuo occurras densis in saltibus apro.
Ille tamen plena gestans venabula dextra,

Nunc iuga montis obit, nunc horrida lustra peragrat,
Sectaturque feras; nec sera nocte reuersus,
Occidit heu! rabido demum confossus ab apro.
Fleuerunt nemora, et spoliati gramine colles:
Et Nymphae insolitis implerunt arua querelis.
At Dea fracta metu, et subito exanimata dolore
Deuolat indignaque videns iam caede tepentem
Ingemit, et formae diuinum exuta decorem,
Corpus inane fouet, terrasque et sidera damnat.
Tum canit vt blandus vexisset Ariona delphin,
Et Methymnaeos audisset ab aequore cantus.
Tum fugientem acri compellat Thesea questu:
Perfide quid solam deserto in littore amantem
Liquisti? nec te morriturae fata puellae,
Nec te conscia mens, nec te periuria terrent?
Flecte ratem male grate hospes; da lintea retro.
Nonne vides puppim inuito contendere ponto,
Nec tantum perferre nefas? et coniugis eheu
Ad mollasque preces, atque ad pia verba reflecti?
Illa quidem male grate hospes te a morte redemit:
Illa tibi primos etiam donauit amores.
Flecte ratem, cupit insuetis obiecta periclis
Per freta caeca sequi fugientem, et brachia tendit
Credita iamiam vndis, vastumque ingressa profundum.

Tum

Tum quaerent Dodona tuas, Phoeboque ſacratam
Ortygiam, Niliqve refert ſeptemplicis ortus.
Te quoque, cui Venetum imperium debetur,
aperto
Deducit pelago: tibi ſubiicit vltima Thules
Littora, et Oceani magnos promittit habenas.
Macte animo, *Federice*, tibi Neptunia regna,
Et quaecunque oriens luſtrat, quaecunque cadens
ſol,
Parebunt, orbisque aeterna pace quieſcet.
Te duce caſta fides cum fecerit otia terris,
Aurea reſtituent concordes ſecula Parcae:
Et praeceps toto fugiet discordia mundo.
Sponte ſua tum perpetua flaueſcet ariſta
Campus, et Hyblaeo ſudabunt melle geniſtae.
Atque impune lupis audax miſcebitur agna.
Ipſae nectareo diſtendent lacte capellae
Vbera; et in mediis florebunt lilia dumis.
Ipſe rubus paſſim miti ſe veſtiet vua;
Aſſyriaeque ſalix pingueſcet germine myrrhae.
Tum vero placido ſternentur caerula fluctu,
Nec pelago abruptas horrebit nauta procellas,
Cyaneas etiam cautes, Scyllaeaque ſaxa
Percurrent tuto volitantes remige puppes.
Felices tali rerum ſub principe gentes!
Tuque adeo felix tanto pro munere princeps.

Quid casum Phaethontis et horrida vincula [illegible]
Andromedes? Thamyrimue, suo qui orbatus honore,
Musarum quondam vltrices cognouerit iras?
Omnia, quae Hadriacis Proteus cantarat in antris,
Forte vt Carpathio cessisset ab aequore vates.
Ille canit: plausum ingeminant laetae vndique ripae,
Vicinumque nemus; donec se fluminis alueo
Condidit, et pronos cursus emisit aquarum.

ACTE

ACTII SINCERI SANNAZARII

ECLOGA I. PHYLLIS.

Lycidas. Mycon.

Mirabar, vicina Mycon per littora nuper
Dum vagor, exspectoque leves ad pabula thynnos,
Quid tandem insuetus streperet mihi coruus, et vdae
Per scopulos passim fulicae, perque antra repostae
Tristia flebilibus complerent saxa querelis,
Cum iam nec curuus resiliret ab aequore delphin,
Nec solitos de more choros induceret vndis.
Ecce dies aderat, charam qua Phyllida terrae
Condidimus, tumuloque pias defleuimus vmbras.
Ah miseri! et posthac nec tristes linquimus auras:
Nec dubitat saeuus [illegible] ferre Pylemon.
MY. Scilicet id fuerat? tota quid nocte vaganti
Huc illuc, dum Pausilypi latus omne pererro,
Piscosamque lego celeri Nesida phaselo,
Nescio quid queruli gemerent lacrimabile mergi.
Phyllis ad inferias, Phyllis (si credimus) illos
Ad gemitum, o Lycida, [illegible] ad fletus vocabat,

LY. Eheu chare Micon, quantis spectacula poenis
(Nunc recolo) quas ipse manus, quaeue ora notaui
His oculis: his inquam oculis quae funera vidi
Infelix: nec me tandem dolor improbus egit
In scopulos, in saxa, rogoue absumsit eodem
Ignea vis, vel saltem aliquis Deus aequore mersit.
MY. O Lycida Lycida! nonne hoc felicius illi
Euenisse putas, quam si fumosa Lycotae
Antra, vel hirsuti tegetem subiisset Amyntae?
Et nunc heu miles hamo sibi quaereret escas:
Aut tenui laceras sarciret vimine nassas.
Sed tu, si quid habes veteres quod lugeat ignes,
Quod manes, cineresque diu testetur amatos,
Incipe quandoquidem molles tibi littus arenas
Sternit, et insani posuerunt murmura fluctus.
LY. Immo haec quae cineri nuper properata parabam,
Carmina, ab extremo cum iam caua littora portu
Prospicerem, et nivei venerarer saxa sepulcri:
Incipiam: tu coniferas ad busta cupressus
Sparge manu, et viridi tumulum super intege myrto.
MY. En tibi caerulei muscum aequoris, en tibi conchas
Purpureas, nec non toto quaesita profundo,

Et

Et vix ex imis euulsa corallia saxis
Adferimus, tu solennes nunc incipe cantus;
Incipe, dum ad solem Baianus retia Mycon
Explicat, et madidos componit in orbe rudentes.
IV. Quos mihi nunc, diuae, scopulos, quae panditis antra
Nereides! quas tu secreti littoris herbas
Glauce pater, quae monstriferis mihi gramina succis
Ostendes nunc Glauce! quibus tellure relicta,
Ah miser, et liquidi factus nouus incola ponti,
Te sequar in medios mutato corpore fluctus,
Et feriam bifida spumantia marmora cauda.
Nam quid ego (heu) solis vitam sine Phyllide terris
Exoptem miser? aut quidnam tanta mihi luce,
Dulce patet? quidue hic sperem? quid iam moror ultra
Infelix? an vt hac vili proiectus in alga,
Arentes tantum scopulos, desertaque cernam
Littora, et ingrato insculpam mea verba sepulcro!
Scilicet hos thalamos, hos felices hymenaeos
Concelebrem? sic speratae mihi gaudia taedae
Dat Venus? ambiguas sic dat Lucina fauores?
Quis mihi, quis mihi te rapuit, dulcissima Phylli,
Phylli, meae quondam requies spesque vnica vitae,

Nunc dolor, aeternusque imo ſub pectore luctus.
Non licuit tecum optatos coniungere ſomnos,
Dulcia nec primae decerpere dona iuuentae,
Aut ſimul extremos vitam producere in annos.
Nunc te (quis credat) lapis hic habet? et mihi nusquam es,
Nusquam terrarum Phyllis, ſed fabula, et vmbra
Fruſtrantur miſeras per dira inſomnia noctes
Me miſerum: qua te tandem regione requiram?
Quaue ſequar? per te quondam mihi terra placebat,
Et populi laetaeque ſuis cum moenibus vrbes:
Nunc iuuat immenſi fines luſtrare profundi,
Perque procelloſas errare licentius vndas
Tritonum immanes turbas ſcopuloſaque Cete
Inter, et informes horrenti corpore Phocas,
Quo nunquam terras videam. Iamiam illa tot annis
Culta mihi tellus, populique vrbesque valete:
Littora chara valete: vale ſimul optima Phylli:
Nos tibi nos liquidis ſeptem pro fluctibus aras
Ponemus, ſeptemque tibi de more quotannis
Monſtra maris magni vitulos mactabimus hortos,
Et tibi ſeptenis pendebunt oſtrea ſertis,
Oſtrea muricibus variata, albisque lapillis:
Hic tibi Niſaee, et flauos reſoluta capillos
Cymo-

Cymodoce, mitisque pia cum matre Palaemon,
Et Panope, et Siculi cuſtos Galatea profundi
Solenneis nectent choreas, et carmina dicent:
Quae Proteus quondam diuino pectore vates
Edocuit, magni cum funera fleret Achillis,
Et Thetidis luctus conſolaretur amaros.
At tu ſiue altum felix colis aethera, ſeu iam
Elyſios inter manes, coetusque verendos,
Lethaeos ſequeris per ſtagna liquentia piſces,
Seu legis aeternos formoſo pollice flores,
Narciſſumque crocumque et viuaceis amaranthos,
Et violis teneras miſces pallentibus algas:
Adſpice nos mitisque veni, tu numen aquarum
Semper eris, ſemper laetum piſcantibus omen,
Vt nymphis, Nereusque, vt flauicomae Amphitritae,
Sic tibi victrices fundent libamina cymbae.
Interea tumulo ſupremum hoc accipe carmen,
Carmen, quod tenui dum nectit arundine linum,
Piſcator legat, et ſcopulo ſuſpiret ab alto.
In gremio Phyllis recubat Syrenis amatae.
Conſpergis gemino felix Sebethe ſepulcro.
MY. Dulce ſonant, Lycida, tua carmina: nec mihi malim,
Halcyonum lamenta, aut vdo in gramine ripae
Propter aquam dulces cycnorum audire querelas:
Sed tu: ſic faciles vicina Megeria ſemper

Sufficiat conchas: ſic proxima Mergilline
Oſtrea ſaxoſaque ferat tibi rupis echinos:
Quandoquidem nox obſcuras iam diſtulit vmbras,
Necdum permenſus coelum Sol: incipe rurſus,
Atque itera mihi carmen, habent iterata leporem.
LY. Ne miſerum, ne coge Mycon, ſat lumina, ſat iam
Exhauſtae maduere genae, dolor (adſpice) ſiccas
Obduxit fauces: quatit et ſingultibus imum
Pectus: anhelantemque animam vox aegra relinquit.
Et tamen haec alias tibi nos, et plura canemus,
Fortaſſe et meliora: aderit ſi Muſa canenti.
Quin et veliferis olim haec ſpectanda carinis
Seu Prochytae, ſeu Miſeni ſub rupe patenti
Inſcribam grandisque notis ferrugine ducam,
Praeteriens quas nauta mari percurrat ab alto:
Et dicat: Lycidas, Lycidas haec carmina fecit.
Sed quoniam ſocii paſſim per littus ouantes
Expectant, poſcuntque tuas ad retia vires:
Eia age iam ſurgamus: ego haec ad buſta ſedebo.
Tu ſocios inuiſe: eſcas nam quaerere tempus:
Et tibi nunc vacuae fluitant ſine pondere naſſae.

ECLOGA II.

Galatea.

Forte Lycon vacuo fessus consederat antro.
Piscator, qua se scopuli de vertice lato
Ostentat pelago pulcherrima Mergilline.
Dumque alii notosque sinus, piscosaque circum
Aequora collustrant flammis, aut linea longe
Retia, captiuosque trahunt ad littora pisces:
Ipse per obscuram meditatur carmina noctem.

Immitis Galatea! nihil te munera tandem,
Nil nostrae mouere preces? verba irrita ventis
Fundimus: et vanas scopulis impegimus vndas.
Adspice, cuncta silent, Orcas, et maxima Cete
Somnus habet, tacitae recubant per littora Phocae.
Non Zephyri strepit aura: sopor suus humida mulcet
Aequora: sopito conniuent sidera coelo.
Solus ego (heu misero) dum tristi pectore questus
Nocte itero, somnum tota de mente fugaui,
Nec tamen vlla meae tangit te cura salutis.
At non Praxinoe, me quondam, non Polyboti
Filia

Filia defpexit, non diuitis vxor Amyntae,
Quamuis culta finu, quamuis foret alba papillis.
Quin etiam Aenaria (fi quicquam credis) ab alta
Saepe vocor, folet ipfa meas laudare camoenas
In primis formofa Hyale: cui fanguis Iberis
Clarus auis: cui tot terrae, tot littora parent:
Quaeque vel in mediis Neptunum torreat vndis.
Sed mihi quid profunt haec omnia, fi tibi tantum
Difpliceo; fi tu noftram crudelis auenam
Sola fugis? fola et noftros contemnis amores?
Oftrea Mifeni pendentibus eruta faxis
Mille tibi mifi: totidem fub gurgite vafto
Paufilypus, totidem vitreis Euploea fub vndis
Seruat adhuc, plureis Nefis mihi feruat echinos,
Quos nec vere nouo foliis lentifcus amaris
Inficit, aut vacuae tenuant difpendia Lunae.
Praeterea mihi fub pelago manus apta legendis
Muricibus: didicit Tyrios cognofcere fuccos:
Quoque modo plena durent conchylia tefta.
Quid refugis? tingenda tibi iam lana paratur,
Qua niteas, fuperesque alias Galatea puellas:
Lana maris plumis quae mollior, hanc mihi paftor
Ipfe olim, dedit hanc paftor Molifaeus, ab alta
Cum me forte fenex audiffet rupe canentem:
Et dixit, puer, ifta tuae fint praemia Mufae,

Quan-

Quandoquidem noſtra cecinifti primus in acta.
Ex illo in calathis ſeruaui, vt mittere poſſem.
Sed tu (ne qua mihi ſuperet ſpes, ne qua futuri
Conditio Galatea) manum mihi dura negaſti.
Hoc eſt, hoc, miſerum quod perdidit; ite Camoenae,
Ite procul; ſpreuit noſtras Galatea querelas.
Scilicet exiguae videor quod nauita cymbae,
Quodque leues hamos, nodoſaque retia tracto,
Deſpicis: an patrio non hoc quoque littore Glaucus
Fecerat? aequoreae Glaucus ſcrutator arenae?
Et nunc ille quidem tumidarum numen aquarum,
Sed nec, quae nimium vel me ſic falſa fatigat,
Fabula te moueat Lydae, licet illa puellis
Iactet nefcia quas mihi ſe miſiſſe corollas,
Non me Lyda tamen, non impulit, aequora teſtor,
Nereidasque omneis ſi fallo, naufragus illas
Experiar, falſosque bibam ſub gurgite fluctus.
Heu quid agam? externas trans pontum quaerere terras
Iampridem eſt animus: quo nunquam nauita, nunquam
Piſcator veniat: fors illic noſtra licebit
Fata queri. Boreae extremo damnata ſub axe
Stagna petam, et rigidis nunquam non cana pruinis?

An

An Lybiae rapidas, Auſtrique tepentis arenas?
Et videam nigros populos, ſolemque propinquum.
Quid loquor infelix? an non per ſaxa, per ignes
Quo mecunque pedes ducent, mens aegra ſequetur?
Vitantur venti: pluuiae vitantur, et aeſtus:
Non vitatur amor, mecum tumuletur oportet:
Iam ſaxo iam me ex illo demittere in vndas
Praecipitem iubet ipſe furor. Vos o mihi Nymphae
Vos maris vndiſoni Nymphae praeſtate cadenti
Non duros obitus, ſaeuasque extinguere flammas.

Scilicet haec olim, veniens ſeu littore curuo
Caietae, ſeu Cumarum naualibus altis
Dum loca tranſibit, raucus de puppe magiſter
Hortatus ſocios, dextrum deflectite, dicet,
In latus o ſocii, dextras deflectite in vndas:
Vitemus ſcopulos infameis morte Lyconis.

Talia nequicquam ſurdas iactabat ad auras
Infelix piſcator, et irrita vota fouebat:
Cum tandem extremo veniens effulſit ab ortu
Lucifer, et roſeo perfundit lumine pontum.

ECLOGA III. MOPSVS.

Celadon, Mopsus, Chromis, Iolas.

Dic mihi (nam Baulis, verum si retulit Aegon,
Bis senos, vos Mopse, dies tenuere procellae)
Quid tu, quid Chromis interea, quid vester Iolas,
Dum Notus insultat pelago, dum murmurat vnda,
Ecquid desertis vacui lusistis in antris?
MO. Quid nostrae facerent ingrata per otia musae
O Celadon! neque tum conchas impune licebat
Per scopulos, non octipedes tentare Paguros.
Iam fragilem in sicco munibat saxa phaselum
Raraque per longos pendebant retia remos,
Ante pedes cistaeque leues, hamique iacebant:
Et calami, nassaeque et viminei labyrinthi,
Tum Chromis Inarimem spectans, his, inquit, ab oris
(Ah dirum exilium) nostrae soluere carinae:
Cum regem post bella suum comitata iuuentus
Ignotis pelagi vitam committeret vndis.
Quae tamen (vt fama est) Ligurum per saxa, per altas

(Ste-

Stechadas emicuit: Rhodumque inuecta per amnem
(Nam bene si memini, Rhodanis referebat Amilcon
Oceani madidas vidi refluentis arenas,
Et quae caeruleos procul adspicit ora Britannos,
Qua (nisi vana ferunt) quoties maris vnda re-
sidit,
Indigenae captant nudos per littora pisces.

Ne Chromi, ne luctus renoua, respondit Iolas:
Sat tuus haec nobis Lucrini nuper ad vndam
Narrauit Lycabas: Solem se scilicet illic
Transfluctus trans et nubes vidisse cadentem,
Haud aliter, quam si nostris e montibus illum
Caietae adspiceret longe, post littora ferri:
Et strepitum sensisse ruentis ab aethere currus,
Praeterea mores populorum, vrbesque locosque
Exposuit, quernasque domos, et lignea tecta
Addidit, et varias (heu barbara nomina) gentes
Bellouacos, Morinosque et quos quis dicere possit
Tarbellos: latis errare et flamina campis:
Nescio quem Ligerim tectis se innasse carinis.
Sed mea nunc aliae poscunt, sibi pectora curae,
Tu modo si quid habes (et te quoque Chloridis
ardor
Excruciat) scopulo hoc mecum meditare vicissim
Audies,

Audies, et gracilem percurret Mopsus auenam.
Sic illi: ast ego nil contra, sed quae mihi collo
Garrula pendebat, manibus tunc sumta cicuta est,
Scilicet alternos conabar arundine versus
Excipere, alternis nam dicere vterque parabat.
Nec mora, iam Chromis hos, hos et referebat Iolas.
CH. Nereides, pelagi sacrum genus, aut mihi vestris
Munera ferte vadis, duram queis Chlorida placem:
Aut, si muneribus flecti nequit, aequore toto
Quaerite, quae nostrum sanet medicina furorem.
IOL. Sirenes mea cura, audite haec vltima vota,
Aut reuocet iam Nisa suum, nec spernat Iolam,
Aut videat morientem. Haec saxa impulsa marinis
Fluctibus, haec misero vilis dabit alga sepulcrum.
CH. Qualis tranquillo quae labitur aequore cymba,
Cum Zephyris summae crispantur leniter vndae,
Tuta volat, luditque hilaris per transtra iuuentus:
Talis vita mihi, mea dum me Chloris amabat.
IOL. Adspicis iratae feriant vt saxa procellae:
Vt validis imae Coris turbentur arenae.
Iam scopulis furit vnda, tremit iam terra tumultu,
Fallor, an haec ipsa est Nisae indignantis imago?
CH. O Proteu, pastor liquidi maris, o pater, o rex,
(Quando quidem insanos odistis numina fastus)

C Quare

Quaere Pithecusas tu, cui licet, atque superbae
Dic Hyalae, falsum te pascere monstra per aequor.
IO. Ille habet, ille meos scopulus mihi seruat amores,
Qui propior terrae est: illum pete, Glauce, natatu:
Neue manus puri contemnat Nisa mariti,
Dic te squamigeras traxisse ad littora praedas.
CH. Est Veneri Cypros gratissima, Creta Tonanti,
Iunonique Samos, Vulcano maxima Lemnos:
Aenariae portus Hyale dum pulchra tenebit,
Nec Samos Aenariam vincet, nec maxima Lemnos.
IO. Gradiuus Rhodopen, et Mercurius Cyllenen,
Ortygiam Phoebe, Tritonia iactat Hymetton:
Nisa colit Prochyten: Prochytes si commoda norint,
Ortygiam Phoebe, Tritonia linquet Hymmetton.
CH. Hic specus, hic rupes, texendisque optima nassis
Vimina sunt, iunci, densaeque per auia myrtus:
Si mihi nunc Pholoe, vel tantum Chloris adesset,
Quam bene pugnaces possem contemnere ventos!
IO. Nulla mihi sine te rident loca, displicet aequor,
Sordet terra, leues odi cum retibus hamos.
At si aderis tu Nisa, placebunt omnia: laetus
Tunc ego vel Lybicis degam piscator arenis:
CH. Dat Rhombos Sinuessa Dicarchi littora Pagros

Her-

Herculeae Mullum rupes, Synodontas Amalphis:
Parthenope teneris scatet ambitiosa puellis:
Quis mihi nunc alias scrutari suadeat algas?
IO. In fluuiis Mugil versatur, Sargus in herbis,
Polypus in scopulis, mediis Melanurus in vndis:
Ante tuas, mea Nisa, fores ego semper oberro:
Quae mihi det tales iucundior insula portus?
MO. Hactenus, o Celadon, resonis sub rupibus illos
Inter se vario memini contendere cantu,
Horrida ventosi ridenteis murmura ponti:
Qui tamen et laudes, et munera digna tulere
Carminibus, sed quae nequeat contemnere Triton:
Hic, quam Circeio nudus sub gurgite cepi
Natiuis concham maculis, et murice pictam:
Ille recuruato nodosa Coralia trunco.

FERDINANDO FEDERICI

REGIS F. ARAGONIO, CALABRIAE DUCI,

ECLOGA IIII.

Proteus.

Nunc primum notas velis maioribus vndas
Currimus o Nymphae Craterides: ordine quando

Suadet amor, charae primos telluris honoreis
Dicere: caeruleae magni Crateris alumnae.
Telluris primos charae dicamus honores,
Dum radiis feruens medium ſol excoquit aequor.

Tu vero patriae iuuenis decus, edite coelo,
Spes generis tanti: ſeu te nimboſa Pyrene
Pro dulci Latio, pro noſtris detinet aruis:
Seu vagus obiecto munimine claudit Iberus,
Rumpe moras: nec te latis Hiſpania regnis
Adliciat, ſtirpisve tuae primordia, et ille
Gentis honos: licet effuſo Tagus impleat auro,
Et pater Oceanus ſpumanti perluat vnda.
Nam mihi, nam tempus veniet, cum reddita ſceptra
Parthenopes, fractosque tua ſub cuſpide reges
Ipſe canam: nunc littoream ne deſpice muſam.
Quam tibi poſt ſyluas, poſt horrida luſtra Lycaei
(Si quid id eſt) ſalſas deduxi primus ad vndas,
Auſus inexperta tentare pericula cymba.

Quae vada non norunt, quis neſcit? Protea portus?
Illum olim veteris paſcentem ad ſaxa Mineruae,
Mulcentemque ſuas diuino carmine Phocas,
E puppi ſenſere Melanthius et Phraſidamus,

Vt

Vt forte a Capreis obſcura nocte redibant:
Senſere et vario delphinas ludere curſu,
Tritonumque choris longe freta pulſa ſonare,
Ipſe autem, haudquaquam mortali digna referri
Verba ſono, vacuas laetus cantabat ad auras:
Terrigenae ut quondam matris de ventre Tiphoeus
Exſiliens infanda deos ad bella vocaſſet:
Vt fratrum primus, furiis et hiantibus hydris
Inſtructus denſas ductauerit ipſe cateruas.
Vt niſu ingenti parteis de monte reuulſas
Aenariam, Prochytenque altis immiſerit aſtris,
Ac totum ſubito coelum tremefecerit ictu:
Tum pater haud ſegni molitus fulmina dextra
Immaneis acies deiecerit, atque Triphoeum
Iuſſerit ardenteis tectari ſulfure Baias,
Quod gens victa illis lauiſſet vulnera lymphis,
Hinc magni Alcidae tauros, ſtratumque profundum
Aggeribus memorat, ductamque per oppida pompam.
His veteres addit Cumas, loca cognita Phoebo:
Vatis et horrendae lucos, Triuiaeque receſſus,
Cimmeriumque domos, et opaca in vallibus antra.
Te quoque formoſae captum Neſidos amore
Pauſilype, irato compellat ab aequore queſtu,
Ah miſer, ah male caute, tuae quid fata puellae
Acceleras: cupit in medios euadere fluctus

 Infelix:

Infelix: cupit insuetum finire dolorem,
At tibi nec curae est, quod eam Neptunia monstra
Circumstent, mare nec rapido quod sorbeat aestu.
Ah miser, ah male caute, vltra quid brachia tendis?
Siste gradum, riget illa iugis adsueta niuosis
Venatrix, quam mille ferae timuere sequentem
Per saltus, vos hanc, Panope, vos candida Drymo
Cymothoeque Phoeque Pherusaque Dinameneque
Accipite, et vestris faciam lustrate choreis.

Tum canit antiquas sedeis, opulentaque regna
Auricomae Sirenis, et altum in monte sepulchrum,
Sacraque Chalcidicosque deos, magnisque per aequor
Auspiciis vectas haec ipsa ad littora classeis.

Tum liquidos fonteis subter cana moenia ducit,
Adtollitque arceis, et culmina montibus aequat
Tectorum: vastas protendit in aequora moleis,
Eupleamque procul trepidis dat cernere nautis,
Atque Pharon: iungit scopulos praeruptaque saxa
Theleboum, Sarnique amneis, et pinguia culta.

Tum canit, vt Corydona sacro Meliboeus in antro
Viderit,

Viderit, et calamos labris admouerit audax:
Formosum quibus ille olim cantarat Alexin,
Dixerat et musam Damonis, et Alphesiboei:
Queis fretus, dictante dea, tot sidera nobis
Prodiderit, tantas coeli patefecerit oras,
Quid referam aut Stabias, aut quae tenuisse canoris
Virginibus fama est abeunteis saxa carinas?
Aut vt terrifici sonitus, ignemque Veseui,
Et desolatas passim defleuerit vrbeis?
Postremo reges, regumque ex ordine pugnas
Enumerat: bellique arteis, et praemia narrat:
Addit tristia fata, et te quem luget ademtum
Italia infelix (siue id grauis ira deorum,
Seu sors dura tulit) trans altas euehit Alpeis.
Mox agit Oceani prope littora: denique sistit
Spumantem ad Ligerim, paruaque includit in vrna:

Heu sortem miserandam, heu pectora caeca futuri!
Haeccine te fessum tellus extrema manebat
Hospitiis, post tot terraeque marisque labores?
Pone tamen gemitus: nec te monumenta parentum
Aut moueant sperata tuis tibi funera regnis,
Grata quies patriae: sed et omnis terra sepulcrum.
Haec ille, et quae vix audita prioribus annis
Heroum longaeua queat meminisse vetustas

Commemorat: socio respondent aequora plausu:
Luna suam donec paullatim fundere lucem
Coepit, et ad vitreas redierunt numina sedes.

CASSANDRAE MARCHESIAE
MVLIERI PRAESTANTISS.
ECLOGA V.
HERPYLIS PHARMACEVTRIA.

Dorylas. Thelgon.

Sed iam vulgatos et nos referamus amores:
Quos pariter grata scopuli pendentis in vmbra
Hinc Dorilas, hic Thelcboi maris adcola Thelgon
Certantes docuere: quibus caua littora, et ipse
Aequoreus Platmon, sacrumque Serapidis antrum
Cum fonte, et Nymphis adsultauere marinis.

Tu mihi, seu doctas percurris Palladis arteis,
Maeoniaeque aurum, et subtegmina vincis Arachnes,
Seu Dryadum choreis: coctuque immista Dianae
Haud minor incedis: pictaque adcincta pharetra
Venatu

Venatu Prochyten, maternaque regna fatigas:
Siue Dicarchaeis qua molibus adfilit aequor,
Ludenteis spectas Nereidas: en age nostros
(Si quis honos pelagi) Cassandras en adspice lusus.
Non ingrata cano, penitusque iniussa: Neque vnquam
Arguerint ventura meis te secula chartis
Praeteritam. Faueat modo non inuitus Apollo,
Et quae me facili vexere per aequora remo
Pierides: queis longa dies, et nomina curae.
Interea Dorylan iuuet hic audire canentem:
no. Sebethi ad liquidas descenderat Herpylis vndas,
Herpylis Euboiduum non ultima: quam pater Alcon
Erudiit, Musis et Phoebo cognitus Alcon.
Venerat et socii partem subitura laboris
Vnanimis soror, et calathum de more ferebat.
Ipsa comas, effusa pedemque exuta sinistrum
Cum philtris longum submurmurat: atque ita fatur:

Pone aram, et viuos hauri de flumine rores,
Canaque vicino decerpe absinthia campo.
Illum illum magicis conabor adurere sacris,
Qui miseram tota spoliatam mente reliquit.

Voluite praecipitem iam nunc mea licia rhombum.
Rhombus ad Aemonias reuocetur aheneus arteis:
Siſtere qui pluuias, qui pellere nubila coelo,
Qui potis eſt tropidos vndis abducere pisceis.

Voluite praecipitem mea licia voluite rhombum.
Alga tibi hac primum tumidi purgamina ponti
Spargitur, et rapidis abſumitur arida flammis:
Sic mihi ſic Maeon vraris ad usque medullas.

Voluite praecipitem iam nunc mea licia rhombum.
Spongia nunc lacrymis perfunditur, heus bona magno
Spongia nata mari, lachrymas bibe ſedula noſtras
Vique rapis ſitiens illas, ſic Maeonis omnem
Maeonis ingrati rapias de pectore ſenſum.

Voluite praecipitem iam nunc mea licia rhombum.
Vt pumex pingueſcit, vt aequoris vnda quieſcit,
Quae ventis agitata huc, illuc concita fertur.
Sed quid ego heu triſti pectus concuſſa dolore
Imprecer, et vanis iactem conuicia ventis?
Maeon tot mihi damna, ego Maeoni verba rependam?

Vol-

Voluite praecipitem mea licia voluite rhombum.
Huc huc, qui rigida meditaris vulnera cauda,
Saeue Trigon, et tu, proprium cui fiſtere naueis
Veliferas, Echenaeis, adeſte: et Maeonis acreis
Tu retinere pedes, tu figere corda labora.

Voluite praecipitem iam nunc mea licia rhombum.
Tunde iecur, ſpumamque ſimul Torpedinis atrae,
Haec ego cras illi lethalia pocula mittam.
Ebibat, et ſubito pallenteis torpeat artus.

Voluite praecipitem mea licia voluite rhombum.
Scinde manu Leporem. Leporis penetrabile virus.
Naſcitur Eois hic fluctibus: adtulit Aegle,
Docta Aegle, iuſſitque inimicum tangere limen.
Curre age, tange ſimul, ſimul oblinc: cras mihi poenas
Perfidus ille dabit: gemet ipſo in limine Maeon.

Siſtite praecipitem iam nunc mea licia rhombum.
Contere et Halcionis nidum mihi. Pellere ventos
Dicitur, et ſaeuas pelagi mulcere procellas.
Forſitan hic noſtros ſedabit pectoris aeſtus,

Siſtite

Sistite praecipitem iam sistite licia rhombum.
Hactenus ille: quod huic subiunxerit ordine Thelgon,
Accipe, non omneis vnus dolor agit amanteis.
THEL. Rupe sub hac mecum sedit Galatea: videbam
Et Capreas, et quae Sirenum nomina seruant
Rura procul: veteres alia de parte ruinas
Herculis ambusta signabat ab arce Vesevus.

Exere caeruleos Triton de gurgite vultus.
Ipse meas Triton Nereo deferre querelas,
Ipse potes curua resonans super aequora concha,
Et scopulis narrare, et fluctiuagis balaenis.

Exere caeruleos Triton pater exere vultus.
Hic primos mihi congressus dedit illa roganti,
Hic niueam formosa manum porrexit, et (eheu,
Quod recolo!) tacitos in me deflexit ocellos.
Exere caeruleos Triton de gurgite vultus.
Huc ades o mea cura, quid, o quid lenta moraris?
Ipse ego te propter, socios, cymbamque reliqui.

Exere caeruleos Triton pater exere vultus.
Hic tibi consuetas formosior explicat umbras
Populus; amplector saepe hanc, atque oscula figo
Corti-

Corticibus: saepe ipsa pedum vestigia quaero:
Et si quid manibus tetigisti, floribus orno.

Exere caeruleos Triton de gurgite vultus.
Quem mihi nunc praefers? si te iuga frondosa,
si te
Arbuta, pascentesque iuuant per rura capellae:
Nos quoque non graciles nunc primum iungere
auenas
Discimus: incisas implent mea carmina fagos:
Et mea Maenaliis pendet iam fistula syluis.

Exere caeruleos Triton pater exere vultus.
Sin magis adrident haec littora, sin magis alti
Diuitiae pelagi; sparsos qui cogere pisceis
Doctior, aut rigidum dextra iactare tridentem?

Exere caeruleos Triton de gurgite vultus.
Non ego Delphinis, te iudice: non ego Thynnis
Aequore vel medio dubitem certare natando.
Quid tibi me iactem? cui vix numerare vel ha-
mos
Nunc vacat, aut restes, oneratque retia plumbo,
Et Sinuessano textas de vimine nassas;

Exere

Exere caeruleos Triton pater exere vultus.
Me Ligurum durae rupes, me Gallica norunt
Littora piſcantem. Pariter me Varus, et ingens
Senſit Arar, ſenſere maris fera monſtra Britanni,

Obrue caeruleos Triton ſub gurgite vultus.
Et poſt haec (heu) dura fugis, non te mihi tellus
Extera, non venti rapuere: ſed accipe munus,
Accipe: non vltra tecum Galatea ſedentem
Adſpicies. I, laeta nouas meditare choreas.
Obrue, caeruleos Triton pater obrue vultus.

TRAIANO CABANILIO

TROIAE AC MONTELLAE DOMINO.

Salises.

Si vacat, et blandos etiamnum ventilat igneis,
Quae dea caerulea vehitur ſuper aequora concha,
Turrigeramque Paphon ditemque Amathunta tuetur.
Accipe flumineas properatum carmen ad vndas.
O mihi non dubia Cabanili cognite fama,
Sed longe varios rerum ſpectate per vſus,

Nam

Nam tibi me doctae sic deuinxere sorores;
Sic mea felici permulcent pectora cura:
Vt vix illa queam melioris tempora vitae,
Te sine vix placidos per noctem ducere somnos.
En agedum, Traiane, tuis haec praeuia iussis
Tractanti, iamiamque animo majora paranti
Da veniam, et tenues ne dedignare camoenas.

Forte inter virideis (si vera est fama) genistas
Capripedes Satyri, passimque agrestia Panes
Numina, cum Faunis, et montiuagis Syluanis,
Exercet dum Sol raucas per rura cicadas:
Vitabant aestus, qua pinguia culta vadosus
Irrigat, et placido cursu petit aequora Sarnus.
Grata quies nemorum manantibus vndique riuis,
Et Zephyris densas inter crepitantibus alnos.
Dumque leueis aptant calamos, dum sibila pressis
Explorant digitis, tenuique foramina cera
Obducunt, vario modulantes carmina cantu:
Auricomae viridi speculantur ab ilice Nymphae,
Dulcia clarisonis soluentes ora cachinnis:
Sed prope ferre pedem metuunt, nam saepe labores
Audierant Panaea tuos: et qualibus olim
Infelix eheu virgo Nonacria fatis,
Infelix virgo (quid enim non illa moueret?)
Pana metu fugiens e vertice Cyllenaeo,

Pana

Pana deum Arcadiae quamuis pulcherrima quamuis
Dianae ſacros inter lectiſſima coetus,
Nodoſa tenerum mutarit arundine pectus.
Quas ſimul ac nemorum petulans, effrenaque pubes
Semiferi videre per herbida prata vagantes,
Occultamque imis flammam traxere medullis:
Sic timidas blandis hortantur vocibus vltro:

Huc, huc, o tenerae placidiſſima turba puellae!
Quid procul adſtatis? potius ſuccedite ripae,
Et viridi in prato molleis de more choreas
Ducite, quandoquidem calamos inflamus inerteis
Et fruſtra ad ſurdas iactamus carmina ſyluas.
Illae nil contra: celeri ſed nuda parabant
Crura fugae, tutosque agitabant mente receptus,
Si qua forte viam per ſaxa irrumpere, et altis
Euaſiſſe iugis, Deus, aut ſua fata dediſſent.
Tum iuuenes, procul, o clamant, procul iſte puellae
Sit timor: ignauas animo depellite curas:
Nullae hic inſidiae, nullae per aperta latebrae:
Cuncta patent, nullas abſcondunt haec loca fraudeis.
Nos quoque non Lernae monſtris, non igne Chimerae,
Scillaei ſiue lupis geniti, aut latrante Charybdi,
Qui veſtra immani laceremus viſcera morſu,
Sed diuum genus, et qui ſemper rupibus altis

Vobis-

Vobiscum crebris venatibus insultemus.
His dictis permulsi animi, securaque tristem
Corda metum eiiciunt: gressuque per uda citato
Prata, deis tandem cupidis, ripaeque propinquant.
Tum manibus simul implicitis per gramina festas
Exercent choreas: aliosque aliosque reflexus
Inter se laetae repetunt: nunc corpora librant
In saltus: nunc molle latus, nunc candida iactant
Brachia: et alterna quatiunt vestigia planta.
Hic Satyri, quanquam voces audire canentum
Crudeles, quanquam niueas spectare papillas
Exultant, oculisque bibunt sitientibus ignem:
Tanta tamen saeui gliscit vis effera morbi
Pectoribus, praecepsque amor, et male sana libido:
Vt calamis sensim eiectis, ruptoque repente
Foedere surgentes ab humo, vento ocyus omnes
Exiliant; spretaque Deum pietate, fideque,
Ah pauidas Nymphas, subitoque horrore rigenteis
Inuadant auidi, saeuorum more luporum,
Qui laetas mediis proturbant lusibus agnas,
Oblitasque sui passim rapiuntque trahuntque,
Dum viridi in campo cursant, aut valle sub alta,
Et custos ignarus abest, et amica canum vis.
Sic illi, at miserae discisso pectore Nymphae
Frondiferam moestis siluam clamoribus implent:

Atque huc, atque illuc fugiunt. Non, saxa, neque altis
Tuta putant loca senta rubis. hinc ardua montis
Praerupti iuga, diffusos hinc stagna per agros
Attonitae circumspiciunt. via nulla salutis.
Et iam spes praerepta fugae: tum denique ad vndas
Consiliunt trepidae, flauosque a vertice crines
Cum lacrimis, gemituque, et flebilibus lamentis
Abscindunt, Sarnumque vocant liquidasque sorores.
Dumque vocant, fundo properat chorus omnis ab imo
Naiadum, properat vitreae rex caerulus vndae
Sarnus, inexhaustumque vadis ciet agmen aquarum
Rauca sonans: sed quid Sarnusque, aut illa natantum
Agmina Naiadum possint, vbi ferrea contra
Stant fata, et duro leges adamante rigescunt?
Ergo defectae cura, auxilioque deorum,
Ac coelum pariter Nymphae, lucemque perosae,
Vnum illud rebus tandem quod restat in arctis,
Finem optant, iamque in fluuium se mergere adortae
Membra reclinabant, et aquas prono ore petebant.

Cum

Cum subito obriguere pedes: lateque per imos
Exspatiata vngues radix fugientia tardat,
Adfigitque solo vestigia, tum vagus ipsis
Spiritus emoritur venis, indignaque pallor
Occupat ora: tegit trepidantia pectora cortex.
Nec mora: pro digitis ramos exire videres.
Auratasque comas glauca canescere fronde:
Et iam vitalis nusquam calor: ipsaque cedunt
Viscera paulatim venienti frigida ligno.
Sed quamuis totos duratae corporis artus,
Caudicibusque latus, virgultisque vndique septae,
Ac penitus salices: sensus tamen vnicus illis,
Siluicolas vitare deos, et margine ripae
Haerentes, medio procumbere fluminis alueo.

M. HIER. VIDAE CREMONENSIS

BVCOLICA.

ECLOGA I. DAPHNIS.

Lycidas. Amyntas.

Absentem Daphnim Lycidas, et pulcher Amyntas
Paſtores ambo, pueri ambo, ad Tibridis vndam
Flebant, et querulo mulcebant flumina cantu.
Dicite vos Muſae. et iuuenum memorate querelas;
Dicite, nam motas ipſas ad carmina cautes,
Et requieſſe ſuos perhibent vaga flumina curſus.
Incepit Lycidas, Lycidae nam cedit Amyntas:
Has o qui ſaltem voces tibi ventus ad aures
Daphni ferat! noſtrum, Daphni, abſens noſce dolorem,
Nunc ſeu te immemorem noſtri, pecorisque relicti
Oblitum patria arua iuuant, et paſcua tantum
Tuſca tibi cordi, Latii pro pinguibus agris,
Antiqui Latii, et pro flauo Tiberino

Dilecti

Dilecti ripas formoſas accolis Arni,
Seu tibi, quando vrgent ſic Diuum triſtia iuſſa,
Saepe animo occurrit, quam pinguia liqueris arua,
Dumque acrem fruſtra quaerens lenire dolorem,
Secretos lucos ſolus, ſecreta pererras
Littora, ad hos coeli conuertis lumina tractus,
Et tacitus tecum dicis: mea gaudia tellus
Illa habet, illa meos longe plaga ſeruat amores.
Daphni, tuos abitus noſtris in montibus vrſi
Informes gemuere; ferae luſtra alta tenentes,
Auditae aëreis in verticibus vlulaſſe.
His paſſim audiri laeta olim carmina in oris,
Carminaque, et dulces paſtorum ſemper amores.
Nunc circum ſilet omnis ager, nunc paſcua muta.
Haec ſubito liquit tecum omnis rura voluptas!
Hic aderas, aderant ſimul et fluuialia Nymphae
Numina, Nympharumque timor per littora Fauni.
Hinc abes, hinc abſunt ſimul et fluuialia Nymphae
Numina, Nympharumque timor per littora Fauni.
Formoſi hi tecum montes, formoſaque prata,
Te ſine deformes montes, deformia prata.
Non horti flores apibus, non ſidera rorem
Sufficiunt, gelidae non linquunt arua pruinae:
Vix paucas aeger deſerto in littore Amyntas
Ducit oues, paucas deſerta in rupe capellas,
Horrentique rubo, et carice paſcit acuta.
Ah puer infelix, cui tu dum paſcua cara

Commendas et oues fido atque armenta recedens,
Et triſtis, dilecte vale, vix inquis, Amynta,
Nil potuit contra prae largo reddere fletu.
Illum, ſingultus dum non compeſcere longos,
Aut lacrimas valet, aprico de colle iuuencae
Fluminis immemores, et graminis, admiratae
Indigno flentis pueri doluere dolore.
Sic Lycidas: ſubito ſic deinde ſequutus Amyntas:
Illa luce et oues fluuios, ac pabula laeta
Fugere, et ſaturis ipſi praeſepibus vltro
Abſtinuere boues clauſi foenilibus, et vos
Tardius ah miſerae rediiſtis monte capellae.
Vt fontes ſine aquis, vario vt ſine gramine prata,
Vt ſine Sole dies, Lunae vt ſine lumine noctes,
Haec ita moeſta ſuo ſqualet ſine Daphnide tellus.
Daphni, decus ruris, paſtorum, Daphni, voluptas,
Quae modo ſurgebant tuguri tua culmina ad auras,
Tibridis in ripa, nunc ſemiſtructa, videntur
Ipſa etiam abſentem dominum deſerta morari,
Illac praeteriens ſubſiſtit ſaepe viator,
Siue viam carpit pedibus, ſeu puppe per vndas,
Et ſecum admirans: quondam haec felicia tecta,
Felices, inquit, horti, cum Daphnis adeſſet.
Nunc infelices horti, infelicia tecta.
Parcite cuſtodes pecoris, cohibete capellas.

O vos, o cohibete et oues, haedosque petulcos,
Ne vites carpant immiti dente nouellas,
Quas poſuit modo diſcedens hinc ordine Daphnis
Et dixit: tamen iſta mei monimenta manebunt,
Creſcetis vites, vobiscum conſita creſcet
Vlmus, et exilii noſtri numerabitis annos.
Sic ait, et dulci ſeſe diuellit ab ora
Inuitus, triſtisque: tamen ſubſiſtit, et haeret
Hic illic, colles et reſpiciebat amatos,
Optabatque oculos in cara linquere terra.
Paſtores aderant, omnes de collibus illum
Spectabant moeſti procul, ac diſcedere flebant.
At tu viue memor ſaltem, pulcherrime, noſtri,
Viue tui memor o Lycidae, pulcherrime Daphni.
Forſitan, et ſi quis coelo Deus aſpicit alto
Paſtorum curas, noſtri miſerabitur olim
Mitior, et charis reddet te protinus oris.
Sic pueri, paribus ſe dum ſolantur auenis,
Illorum ſera Tibris ſub nocte querelas
Miratus, flauum vitreis caput extulit antris,
Et vos ex imo gemuiſtis Naiades amne.

CORYDON ECLOGA II.

Hoc mihi vos etiam Nymphae concedite carmen
Seriades, vestris veniens quod nuper ab oris
Cantabat Corydon, grata dum texit in vmbra
Fiscellam, amissi gregis immemor, ilicet illum
Cantantem nostris densa cinxere corona,
Pastores, admirati; Faunique sequuti,
Et vos vicinis, Dryades, properastis ab antris.
Nam Satyrum bifores audentem inflare cicutas,
Ipsum dum cantu vocat in certamina Phoebum,
Nunc canit, et dempta vivos cute detegit artus;
Cernenti, sparsae rorabant sanguine siluae.
Narcissi nunc formosi meditatur amorem.
Ah puer infelix, quis te nouus error adegit?
Aut nihil est quod amas, et fallax ludit imago,
Aut tibi tute ignis, teque ardes nescius ipsum.
Tu tamen hanc tenero male sanus pectore curam
Noctes atque dies versas, tibi flamma medullis
Altius insedit, seque ossibus implicat ignis.
Parcite fallaces puero, iam parcite, lymphae.
Ipsae etiam parcunt Nymphae, quas lusit amantes.
Ipsi etiam parcunt iuuenes, quos torsit amantes

Durus

Durus, communis Diuum puer, atque hominum
fax.
Illum etiam montesque feri, desertaque late
Fleuerunt nemora, vmbrosisque in vallibus amnes,
Dum iacet in ripis, nec fonte recedit amato,
Et moriens cura extremum tabescit inani.
Haec felix Corydon, dehinc addit Ariona cantu
Insignem: resonant omnes et Ariona saltus,
Et nemora, et montes, atque vmbrosae conualles.
Vos quoque muscosi meministis Arionis amnes.
Quae Vos, Nereides, tenuit mora? nam properarunt
Aequoris excitum pecus omne, armentaque Protei,
Et curuam phocae informes cinxere carinam,
Cum nautae insidiis sibi fata instantia cernens,
Extremum caneret tristis solatia lethi:
Qualis Maeandri queritur moriturus ad vndam
Canus olor, qualis rauci per stagna Caystri.
Vos tamen o tandem traxerunt carmina, Nymphae
Nereides, tutam cum per vada salsa secaret
Supposito delphine viam, in patriamque rediret,
Dulce etiam nunc fila mouens testudinis aureae.
Quid caneret, nisi caeruleos per caerula diuos?
Oceanum inprimis, cuius sanctissima vbique
Iura tremunt vndae, tumidique sub aequore fluctus.
A quo principium deducunt omnia passim

Flumina ſub terram occulto labentia tractu,
Mox eadem longo redeunt exercita curſu.
Addit vt et caelum, caelique nitentia tecta
Contemnat, liquidasque domos praeponat olympo
Detentus blandis amplexibus Amphitrites.
Interea vitrea auricomus depaſcitur igni
Arua die, vitreo Sol nocte expectat in antro
Hoſpitis Oceani menſis exceptus amicis,
Interea roſeis ſatura ad praeſepia glaucae
Sufficiunt, et flumen equis, et pabula Nymphae
Diuina, ambroſiamque, et Paeoniam panacaeam.
Cetera dehinc etiam canit alti numina ponti,
Cum Nereo, Glaucoque tridentiferum Neptunum.
Addit Nereidas centum, centum addit amores
Nereidum; toto reſponſant aequora ponto,
Huc ades o Galatea: ades huc Piſaea Arethuſa,
Nerine Galatea, argentea Neptunine.
Reſtabat, nautam infandum quae poena ſequuta,
Dicere, quos laqueos tulerit, quos perfidus ignes,
Pergebatque canens Corydon, dum cuncta referret.
Sed non Sicanium, non ille oblitus Amyntam,
Omnes quem puerum paſtores protinus, omnes
Depereunt Nymphae, Nympharum ſemper amores
Ille habet, ille ipſas vrit ſaeuo igne Napaeas.
Huc ades o formoſe puer, tibi carmina amantes
Grata canunt Muſae: tibi magno captus amore

Ipſe

Ipſe [illegible]erens addit, ſua munera, Apollo,
Eque ſua viridem texit tibi fronde coronam.
Haec Corydon Tiberi nuper mirante canebat.
Caetera paſtores meminere ad flumina Mellae.

NICE. ECLOGA III.

Coniugis amiſſi funus pulcherrima Nice
Flebat, et in ſolis errabat montibus aegra,
Atque homines fugiens moeſto ſolatia amori
Nulla dabat, luctu ſed cuncta implebat amaro,
Flens noctem, flens lucem: ipſi iam funera montes
Lugebant Dauali, Daualum omnia reſpondebant.
Interea Nymphae Damon correptus amore,
Vicinis ut paucas ſeruabat rupe capellas,
Omnibus ut demens ſiluis errabat, et agris,
Atque haec nequicquam vacuas iactabat ad auras:
O quis te noſtris oculis, pulcherrima virgo,
Obiecit Deus, et viſam te protinus idem
Eripuit nobis, ſaeuo ut conſumerer igni?
Siue Dea es nemorum (certe Dea) ſiue tibi altae
Vndarum dominae parent maris aequora et amnes,
Illa meo nunquam facies de pectore abibit,

Illam

Illam vos etiam mecum discetis amare
Intonsi montes, vos umbriferae conualles.
Siue greges inter captabo frigus, et auram,
Fluminis seu propter salices in valle putabo,
Aut agitans instabo aliud quodcunque, tibi ante
Carmina pauca canam, et te pectore suspirabo,
Toto vnam te corde. Prius dediscet amare
Gramina ouis, nemora alta ferae, vaga flumina pisces,
Quam tua de nostris velletur cura medullis.
Si nec erunt Fauni, si nec mihi Oreades vllae
Montibus, et solis dicam mea carmina siluis.
Ardebunt siluae, montes ardebitis alti.
Quo fugis, ah! Daualus non haec post funera curat.
Siste gradum, atque oculis rursum, Dea, reddere nostris.
O tibi si tantum hae siluae, si mollia prata,
Haec placeant, libeatque his mecum in vallibus esse.
O has felices siluas, felicia prata,
Formosas nimium siluas, formosaque prata,
Formosas valles, sed tu formosior illis.
Coniugis hic mecum, dum carpent grata capellae
Gramina, facta canes ingentia, vt hostibus vnus
Obstiterit saepe, et prostratas ceperit vrbes,

Vtque

Vtque duces, victos tot magnis ceperit auſis
Vna eademque die, tecum omnia quae modo montes
Cantabant ipſi, Daualum omnia reſpondebant.
Alma ſuum hic tecum non dedignetur Adonim
Flere Venus, tecumque ſuas ſociare querelas.
Ipſe autem interea iuxta proiectus in herba
Inſignem calathum tibi iunco, et vimine texam,
Et totum miris pergam variare figuris.
Primus erit labor hic, primum hic tamen argumentum
Coniugis extincti funus, miſerabile funus,
Dum queritur ſe non bello, non fortibus armis
Oppetere, at lento paulatim cedere morbo.
Pallor erit gelido iuuenis morientis in ore,
Et ſenſim placida claudentur lumina morte.
Ardua aquas iuxta fundet moeſtiſſimus vrna,
Et circumfuſae tundent ſua pectora Nymphae
Spargentes ſtratis violam, moeſtumque Hyacinthum.
Exanimum circunſtabunt, regesque ducesque
Moerentes, largoque vndabunt omnia fletu.
Parte alia heroum multis comitantibus addam,
Longum iter ingreſſam te, ſi quod numen euntis
Coniugis annueret cari praedicere fata.
Quos non interea Diuos in vota vocabis?

Quas

Quas non muneribus cumulabis grandibus aras?
Omnes ſed fruſtra diuos in vota vocabis:
Muneribus fruſtra cumulabis grandibus aras.
Ibis multa metu ſuſpenſa; e montibus altis
Occurrent Dryades, et Oreades admiratae,
Nympharumque tibi paſſim chorus omnis eunti
Floribus e variis, viridique e fronde coronas
Intexent, ſaeui ſolatia vana doloris.
Cum vero extinctum Dauatum ſaeuiſſimus aures
Nuncius implebit, votis nihil omnibus actum,
Pallentem heu ſubito faciam, ingentique dolore
Exanimem labi: ſtabunt circum illicet omnes
Collapſam famulae, gelidamque a flumine lym-
pham
Rorabunt, gelida vix tu reuocabere lympha.
Quos ah! dein gemitus, quae tum lamenta referrent?
Si poſſint gemitus unquam, aut lamenta referri?
Crudeles diuos, crudelia fata vocares;
Crudelem terram, quod non ſponte hiſceret, et non
Te ſubito orantem miſerata hauriret hiatu;
Haud aliter tantum finiri poſſe dolorem.
Etruſci montes, teſtes vos omnia ſcitis.
Omnia vos moeſtae lamenta audiſtis, et ipſi
Dum miſere, celſis de verticibus ululaſtis.

Nam

Nam mihi cuncta senex puero praedixerat olim,
Dum moriens teneros commendat Tityrus agnos.
Sic Damon; simul ibat, eum videre vagantem,
Atque haec necquicquam sera sub nocte canentem
Carmina nimbosis stabulantes montibus vrsi,
Montibus et siluis, ac littoribus desertis.
Illa autem praerupta legens, atque inuia saxa,
Nunc hac nunc illac fugere indeprensa, nec vs-
quam
Apparere freti hiberna surdior vnda.
Illam vos amnes, vos o genus amnibus vnde,
Sistite, correptamque domum deducite, Nymphae.
Sola dies poterit tantum lenire dolorem.

AN-

ANTONII MARII ECLOGA.

Thyrsis.

Vos mihi, quae quondam Thyrsis puer et puer Alcon
Dixerit, alternis dum cantant versibus ambo
Dicite, pastorum Diui; vos namque canentes
Mirati, siluas liquistis saepe Lycaei,
Et pueros densa lustrastis saepe chorea.
At tu quem nimbosa suum vocat Archia Regem,
Seu colis Augusti nunc alta palatia, siue
Rupe sub aeria propter Benacidas vndas
Turrianum lugens, cithara miserabile carmen
Ingeminas, tumuloque pium superaddis honorem,
Huc ades, et primos pueri puer aspice lusus,
Lusus, quos, patulae dum crescentem arboris vmbram
Attenuat, vacuas cantet frondator ad auras.
Interea crescent anni, mihi dexter Apollo
Majores texenda dabit in carmina vires,
Tum patriam linquens, Veronae dulcia rura
Aduenìam, hic laetus nemorum viridante sub vmbra,
Dum

Dum vaga Benaci volitant per flumina cymbae,
Virtutesque artesque canam et tua maxima facta.
Archiadem intonsi referent iuga celsa Brioni.
Gaudebunt Nymphae Benacides, et mihi flores
Purpureos in serta legent. Pater ipse canenti
Albula caeruleis assurget leniter vndis.
O tantum hoc Musae vestro concedite vati!
Tunc licet extremae veniant mihi tempora vitae,
Ipse tamen Tithoni aeuum superasse videbor.
Haec olim: vos nunc pastorum dicite musam
Hircipedes Fauni. rapidum sol igneus aestum
Accendebat agris; cum somnum et frigora captant
Custodes ouium, Thyrsis puer et puer Alcon.
Propter aquam dejecti herboso in gramine ripae,
Alterno vacui coeperunt ludere cantu.
Cantabant illi; calamos inflabat Alexis.
T. Nymphae quae parui colitis vaga flumina Rheni,
Pan, felix ouium custos, Satyrique bicornes,
Accipite has voces: aut me jam Phyllis Amyntae
Praeferat, aut celeri curas mihi demite letho.
A. Faune pater, si saepe tuos cantauimus ignes;
Si tibi rite sacra suspendi cornua pinu,
Cum tua purpureis ornabit tempora sertis,
Lydia, dic, nostros ne semper temnat amores.

T. Colles, intonsi colles, et mollia prata,
Et qui vos placido percurrit flumine Rhenus:
Dicite, non mea vos docuit iam Phyllis amare,
Dum canit, aut laetis dum vos arridet ocellis?
A. Fontes, muscosi fontes, nimiumque beati,
Qui caput et niueos dominae perfunditis artus,
Dicite, non mea vos vrit Galatea, virente
Seu sedet in ripa, vitreis seu ludit in vndis?
T. Candidior cycnis, lasciuo mollior haedo,
Pulcrior irriguis hortis, meus ardor Iolas
Quum venit, et gracili curas dum solor arena,
Dulcia saepe meo commiscet basia cantu.
A. Nobilior violis, aestiua lenior aura,
Gratior vmbrosa platano, mea cura, Lycoris
Mecum seruat oues, mecum per prata vagatur,
Iunctior vt carae vitis non haereat vlmo,
T. Adspicis, vt laeti surgunt per gramina flores,
Vt variis volucrum resonat concentibus aër.
Vtque virent siluae, vtque omnis germinat arbor,
Haec facies, haec est Lycidae ridentis imago.
A Vidistin'? croceo dum lux insurgit olympo,
Aut glaciem canas inter fulgere pruinas,
Aut rorem de puniceis stillare rosetis?
Haec facies, haec est Vari lugentis imago,
T. Hic zephyri molles, hic coniferae cyparissi,

Hic antra, hic tremuli fugiunt per gramina riui,
Hic mecum, Lycida, fiscellas texere junco
Velles, aut timidos pennis includere ceruos.
A. Nunc mihi nec gelidi fontes, nec pascua Vari
Laeta placent, culti iam sordent numina ruris:
Huc ades! et gelidi fontes et laeta placebunt
Pascua, nec fuerit quicquam mihi dulcius agris.
T. O mihi si placidum referat se pulcher Iolas,
Si formosa meam non spernat Phyllis auenam,
Si mihi serta suis manibus legat Orithyia:
O tua, Faune, quibus ornarem cornua donis!
A. O mihi si currant his lactea flumina ripis:
Si virides liquido flauescant melle genistae;
Si Tyriis ouium pingantur vellera succis:
O quales mea tunc audires Lydia versus!

Haec illi: pulsae respondent omnia valles:
Vicinas donec rapidus calor ire sub vmbras
Compulit, et potum pastas egere capellas.

EURICII CORDI

ECLOGA I.

Thyrsis. Damon.

Th. Quae mihi sola meae duxi solatia vitae,
Et cupidus toties superos optata rogaui,
Possideo tandem, laeto gratare sodali.
Da. Quis nouus hic plausus? quae te fortuna beauit?
Th. Forte tibi visa est cantoris fistula Batti,
Quam modo discedens, Prussos vbi quaereret agros,
Venalem exposuit cum pastoralibus armis.
Hanc ego nunc emi. pretium tu collige Damon.
Da. Dic agedum, quanti constat tibi, quidque dedisti,
Vel si cara fuit, sex, et non amplius, asses.
Th. Hoc ostende forum, talem centusse licebor.
Crede, dedi septem candentis vellera lanae.
Insuper ex hornis quadrimestrem foetibus agnum,
Additus est etiam maioris caseus orbis.

Et

Et vix obtinui, vendens iurauit Iollas
Tres dare verueces Moerim voluisse caprumque.
Da. Stulte puer, leuium feruens dulcedine rerum,
Parcius emisses quorum foret indigus vsus.
Th. Quid teretes reris calamos, quid rasile buxum,
Quid niueos eboris circlos, et quicquid vbique est?
Adspice quam doctus media internodia tornus
Sculpsit, et vt viuae circum ipsa foramina Musae
Vera, suum quaequis, insignia et organa gestent.
In medio praeses citharam ferit agmine Phoebus,
Nec similem dices te lentis pellibus vtrem
Vidisse, Aepolides hunc concinnauit Amyntas.
Attamen hiscentem longo iam solis ab aestu
Diluto liquidi subleuimus vnguine seui.
Da. Sat modo laudasti; quae sit, sonus ipse docebit.
Quare, si quod habes carmen, modulare parumper,
Dum satur in gelidis grex pabula ruminat vmbris.
Th. Nullus in hoc vsus studio est, vere inscius artis
Non agili possum voces infringere tactu.
Da. Omnis erat vitulus, qui, iam, fert cornua taurus,
Non bene, qui nunquam male, nulli innata magistro
Ars venit, assiduis opus est insistere curis.

Vt bonus hoc sciret, labrum contriuit Amyntas.
TH. Pareo, vicinum mecum succede sub antrum,
Qua cauus exesa resonat testudine tophus.
DA. Adspicis, vt summae motare cacumina siluae
Cessant, et tacitum patulas nemus arrigit aures.
Incipe, sic teneros tibi Pan custodiat hoedos.
TH. Diua Iouis proles, demissae ex aethere Musae,
Dicite, quae maior Veneris ditione potestas?
Quid miserabilius, quidque infelicius, et quid
Durius humanae poterit contingere vitae?
Formosae cupido Crocales accensus amore
Daphnis ab aeriae sic coepit vertice rupis.
Totus amoena foret campus violaria vellem,
Omnigenosque daret flores; colocasia, stacten,
Balsama, Narcissos, Hyacinthos, Lilia, calthas,
Smilacas, abrotanum, samsucum, nardon, amomum,
Et quodcunque bonos exhalat germen odores,
Vt mea, quando aderit mihi, quum promisit ad horam,
Inueniat Crocale teneros quo pascat ocellos,
Effusasque comas tepidis sub solibus vngat,
Et mihi ne dicat: quid sordida rura pererras?
Quae laceras intra saepes hic gaudia quaeris?

In

In taline iuuat te rusticitate morari?
Atque adeo misere fumosis degere tectis?
Immundas ad haras, olidaeque natabula cortis,
Multus vbi fimus est, lutulentae suntque paludes,
Campestresque trahunt semesa cadauera corui.
Bella veni Crocale, nec talem concipe mentem,
Non fuge, quae superum spernentes aethera diui
Delicias petiere suas, factique coloni,
Magno in honore pios habitarunt inter agrestes.
Posthabito quod idem multi diademate reges
Fecerunt, veteres vt narrauere parentes.
Nec meo ab officio videar tibi vilis amator,
Hoc quoque praecipuum fuit et laudabile munus,
Aurea quando noui fulserunt secula mundi.
Cum prima innocuis esset mortalibus aetas,
Plus quam sceptra pedum laudis decorisque ferebat.
Rege parente satus Phrygiae sub vallibus Idae
Pauerat armentum Paris. altae moenia Romae
Accepere suum quondam a pastoribus ortum.
Quid loquor haec? sacri, quibus enthea corda, prophetae,
Per quos ipsa suas mulgarunt numina leges,
Pastores fuerant; casta vix natus ab aluo,
Ad pecudes voluit primum inotescere Christus,
Qui quoque se dixit Pastorem. Cernis in aede

Vt vinctum ex humeris succollans baiulet agnum?
Agnus et ipse Dei dignatus ouisque vocari.
Quos sibi plus aliis fidos habuisset amicos,
Pascere iussit oues, hinc magnus in vrbe sacerdos
Insignis baculo dominatur in omnia Pastor,
Et magis hoc gaudet quam summi nomine regis.
Nec tamen hanc laudem terrarum terminat orbis:
Indecor est visus quondam coelestibus aether,
Addita, ni fuerint nostrae quoque munera caulae,
Quae modo clara micant nocturno sidera coelo,
Pan, Aries, Taurus, Capra, Hoedi, Suculae, Aselli,
Plenaque perpetuo iuxta Praesepia foeno,
Ausus et aduerso Canis occursare Leoni.
Sic doctus coelum, et venturi praescius imbris,
Rettulit Arnophylax, docet experientia verum.
Vidimus aestiuis ad crates noctibus ipsi
Saltare ignitas altum per inane capellas,
Saepeque succensis lucere Parilia culmis.
Quin ipsi immortale Ioui qui fundere nectar
Dicitur, in patria pecudes seruauerat Ida.
Sic etiam posita coelestis imagine lucis,
Thessalicum iuxta fluuium versatus Apollo.
Quod maiora hominum genus his praeconia tollunt?
Est nihil in nostra quod conditione recuses,

Quod

Quod iure obiiciens coeptum aſperneris amorem.
Attamen huic timeo, madidus ne interpluat imber,
Ne me diuitior ſe donis implicet alter.
Qanta puellarum noſtra haec aetate cupido
Creuerit, emuncti tot iam teſtantur amantes.
Sum puer: at memini, quo magnum tempore munus
Eſſe putabatur, ſi textam flore corollam
Quis daret, et paucas in parua ſindone ſpintres.
Nunc poſcunt Tyrio ſplendentem murice limbum,
Et graue bracteolis ſtrophium, fuluumque monile.
Haec dare non poſſum, mea ſolae dona capellae,
Caſeoli, pyra, poma, nuces, his diues abundo,
Quae delecta tibi, dum veneris, optima ſeruo.
Et cicur in clauſo malueta lepuſculus horto
Paſcitur, hic molli dudum tibi tergore creſcit.
Praeterea ſcio qua gemebundus in arbore turtur
Educat excluſos, quondam tua gaudia, pullos,
Quos ego quoque diu ſolitus bis viſere luce,
Praeueniens volucres, neamittam, denique tollam.
Contriſtabo pios, vt tu ſis laeta, parentes.
Hei mihi, plus miſero, quam qui ſe vidit in vndis
Narciſſus, Daphnesque petens fruſtra oſcula *Phoebus*.
Haec tibi ſi Crocale perteſae munera ſordent,
Et nullum modo vis oblita agnoſcere Daphnim.

Nulla magis requies, me mutuus ignis adurit,
Sicelis vt simili non ferueat Aetna camino.
Nescieram, qualis res esset amare, sed eheu!
Nunc miser experior, quam sit lacrimosa voluptas,
Quam plenusque aloes fauus, oblectabile vulnus,
Alta querelarum piscina, doloris abyssus,
Quam male discrucier, quanto vagus impete ducar,
Vos patulae testes fagi, quas omnibus horis
Impatiens misere sublimi persono cantu,
Vt iam quaeque meos volucris moduletur amores.
Vos quoque in his omnes scitis conuallibus alni,
Incisa Crocales quae fertis nomina libro,
Quos gemitus, et quae semper lamenta profundam.
Di faciant felix vt hic sit finis amori,
Inque meum veniat tandem noua nupta cubile,
Et matres claudat Crocale, et mihi mulgeat agnas.
Longius est carmen, sed non memor omnia seruo,
Haec cantante semel nuper Corydone notaui.
DA. Non ita post factos dulce est cessare labores,
Nec saliens adeo blando sonat vnda susurro,
Quam tuus hic cantus; tenerum cape praemia caprum.

ECLOGA II.

Alphesiboeus, Tityrus.

AL. Quae melior tuus fortuna grex arua te-
nebat,
Hoc quod heri nusquam tu sis mihi visus in agro?
TI. Tanquam te lateat, quod rustica turba quot-
annis
Festum concelebrat, quo clausum pastor ouile
Deserit, et pingui conuiuia praeparat agno.
AL. Hei mihi! quid dicis? video, me, Tityre,
ludis.
TI. Ecce nouae [illegible], noua pera, nouusque
cucullus,
Et duo perones [illegible] [illegible].
AL. Me pudet, [illegible], quis me malus abstu-
lit error?
Immo sacerdotello, qui nostrae praesidet urbi?
Hic per adhaerentes compressis naribus orbes
Inspecta tabula, postquam quid nescio mussans,
Percurrit nouies numeratam pollice dextram,
Illud ad hebdomadam nobis ait affore sacrum.
Saepe tamen reputans festorum lapsa dierum
Tempora, qua viridis surgeret imagine tellus.

Et

Et quod Strimoniae dudum rediere volucres,
Non adigi potui, quin hoc ego credere nollem.
Ti. Adfuit Antigenes, Chromis, Alcon, Mopſus, Amyntas,
Et rubeam indutus tunicam Corydonis Alexis,
Aſtachilesque Mycon, cui gallinacea cauda
Candait in vario conum complexa galero.
Tu quoque nobiscum vellem Alpheſiboee fuiſſes,
Magnaque vidiſſes iſta certamina luce
Inter Beſtauium Lycidam, quendamque Theonem,
Quae tibi, quando vacat, ſi vis, ex ordine dicam.
Al. Hoc age fac quaeſo, ſed quem, dic ante, Theonem?
Nam quis ſit Lycidas multis iam nouimus annis.
Ti. Vt verum fatear, quo natus neſcio patre.
Matris enim, ſuus eſt vt caprae filius hoedus.
Hoc ſcio, quod domino quondam ſeruiuit Iollae,
Cui noctu exuuias, pictum furatus et arcum
Vlx triiugum potuit fugiendo euadere lignum.
Al. Iam teneo, fragili ſolitus garrire cicuta,
Ridiculus toto fuit hoc in rure poëta.
Ti. Recte ais, at Latiis hac meſſe reuerſus ab oris
Quantas, audires cuperem, proclamitet artes,
Quam facili dicat ſe ludere poſſe Camena.
Hic vbi iam plenas conſediſſemus ad obbas,

Et

Et lenita fames et pressa libido bibendi,
Intrat, et elato resupinus taliter ore
Incipit, (intenti nos omnes ora tenemus)
Salue laeta cohors et praedita robore pubes,
Si foret ex vobis cui Musica sacra placerent,
Qui velit aeternis sese immiscere poëtis,
Dignaque perpetua modulari carmina lauro,
Me petat, hac longe celeberrimum in arte magistrum,
Clarum laude virum, redeuntem ex Phocide vatem.
Quo sit Cirrha loco, qua sit, scio, parte, Cithaeron,
Quas Parnassus aquas habet, et quae numina Delphi.
Visus Pieridum chorus est mihi, visus Apollo,
Inter quos medius sacras spatiabar ad vndas,
Et mea de viuis tingebam labra scatebris.
Hinc nouus emineo tot notus finibus auctor,
Qualem non vsquam longissima protulit aetas.
Ipse mihi Thamyras, mihi Methymneus Arion,
Et vetus Amphion, cedit mihi Thracius Orpheus,
Insignisque Linus, quamuis pater adsit Apollo.
Praeferor hoc cunctis iam tempestate poëtis,
Quos Germana fouet, quos educat Itala tellus,
Nec mihi se quisquam potis est componere pastor,

Seu

Seu Latium cantet, feu Graecum ludere carmen,
Iudice fi mecum certarit Tityrus Ande,
Iudice fe victum concedet Tityrus Ande.
Nec mea Sicelides aequabunt carmina Mufae,
Quicquid et Afcraeus modulatur arundine vates;
Mille iftis calamis hoedos, et mille capellas,
Et totidem merui melioris vellera lanae,
Quaeque alia infanus pofuit mihi pignora cantor.
Plura locuturo fubitam collectus in iram
Talibus infurgit Lycidas, et vocibus infit:
Quae mala te rabies, quae te dementia vexat?
Inter tot celebres vt faex et amurca Poëtas,
Qualis coniferas inter faliunca cupreffos,
Vsque adeo falfis te tollas laudibus, vt te
Non pudeat tanto mendacia dicere faftu?
Nos nefcire putas, qui fis, quae carmina poffis?
Sic vtinam, velut es nobis, tibi cognitus effes,
Et mifer in caecis latitares bubo cauernis,
Nec tot habereris ludibrio oloribus, et non
Tam manifefta foret, quae nunc infcitia prodit.
Dic mihi paftorem vel tot de millibus vnum,
Qui tibi victori pomumue nucemue dediffet.
Tune malis aliquem potuifti vincere culmis?
Qui tot ubique moues, quo cantas rure cachinnos.
Infani pro Caftalio te pocula Strichni

Credo

Credo bibisse, quibus tantum cepere furorem
Infatuati animi, medicos non consulis aeger?
Tanta tibi fuerit saltem sapientia vellem,
Vt si quas aliquo squillas prodire sepulcro
Videris, hos vellas, et ab hac te peste repurges.
Non tulit illa Theon, transuersa tuentibus hirquis,
Antigenis baculum furiosa mente prehendit.
Sed leuior penna Lycidas mox prosilit, et se
Correptae citius propere tegit obice sellae,
Si vir es et forti qua tibi sub pectore virtus,
Aggredere, et minimum mihi curua in vertice crinem!
Adspice quam timeam, trepido quam corde pauescam,
Qualiter esuriens conspecto sorice felis.
Hac etiam oppressum pulsasset voce Theonem,
Ni senior subito se interiecisset Amyntas.
Quis nouus hic, inquit, furor est? quae bella paratis?
Non volumus tantas inter vos surgere lites,
Pone Theon baculum, Lycida tu proiiçe sellam;
Pascentes non ista decent conuicia vates.
Si tamen insanire libet, contendite cantu,
Et videamus, vter melior: promptum esse Theonem
Audisti, neç adhuc credo certare recusat.

Tu modo si quid habes, sed non temerarius, aude.
Non ita, tum Lycidas, foecundum rusticus imbrem
Orat, vbi emoriens fisso seges aret in agro,
Et quia non aliud possum hic deponere pignus,
Aeratum hoc ferat ille pedum et mea pallia victor,
Tres nisi det victus ligulas, fac certet Amynta.
Ad quae verba Theon: huic quae fiducia vespae,
Audeat vt contra vocalem stare cicadam?
Tres ego non ligulas, tibi tres promitto capellas,
Indic quem vis cunque diem, vel iudice Pane
Non timeo, veniam calamis et voce paratus,
Et faciam ne plus hac me leuitate lacessas.
Effugium quaeris, Lycidas ait, incipe si quid
Iam potes, et quem te iactas ostende poetam.
Vince, nec hanc (si quam ducis modo) neglige laudem.
Quod si vis prior ipse canam, tu deinde sequare.
Quae simul ac dixit sublatam flectere vocem
Incipit, et nostras mulcere his cantibus aures.
(Vt sim tite memor, diuae concedite Musae)
Mirabar, faciles quid aprica per arua Napaeas,
Atque alias quot habent iuga, siluae, et lustra sorores
Cum Satiris Faunisque leues agitare choreas
Adspicerem, et solito laetas plus more capellas,
Egressasque feras medijs colludere campis,

Quid-

Quidque, quod exsultans resonis in vallibus Echo
Tanta super densos iactaret iubila montes,
Cuique tuas tu Phoebe fides, Tegeaee cicutas
Aptares, cui me cantare Hymenaee iuberes.
Scilicet illud erat, modo quod geniale cubile
Sponsus init, celebratque tori conuiuia Daphnis,
Daphnis, quem genitrix conceptum Marte Lycoris
In sacro, nemorum et ruris decus, edidit antro,
Quem tot sperarunt socia in connubia Nymphae,
Plus tamen ante alias Dryope, Scyroque, Lyoque,
Et succensa, licet mediis Galatea, sub vndis.
Sed frustra, quoniam maioribus ille deabus
Dignus ab aethereis aliam detraxerat astris.
A patre iamdudum demissa Astrea tonante,
Induit humanam, Veneris sub imagine, formam;
Et se dissimulata deam dignataque virgo
Vmbrosis Triuiae siluis comes ire Dianae,
Innocuos caste transegit Hamadryas annos,
Dum iuueni matura suo modo ducitur vxor.
Pande marite fores, pictos insterne tapetes,
Fuluaque splendentes suspende aulaea per aedes,
En venit omnis agri chorus et tot ab aethere diui,
Thessalus et plures non vidit Pelion vnquam.
Ipsa Venus pulcro radiantem lumine sponsam
Ducit, et oppresso, gestit minor ire, decore.
Anteretroque leues Charites fragrantia nectunt

Sed mihi non opus est, quid tale timere futurum,
Supremi quoties reminiscor ab vrbe recessus;
Si nunquam fictae lacrimae, si vera fuerunt,
Quae tunc ex roseis audiui verba labellis.
Sanctum conchifero patet extra valla sacellum,
Cuius summa frequens circumdat saxa corymbus,
Et prope sublimis pandit sua brachia pinus.
Huc mea me Crocale clam dura matre secuta
Talibus alloquitur, (iuuat has meminisse) querelis:
Vnica, Daphni, salus, mea spes, mea, Daphni, voluptas,
Te precor, occultum miserere fatentis amorem,
Quo penitus tactae dudum incaluere medullae.
Quemque verecundus pudor hanc celauit in horam,
Cogor in audaces iam nunc erumpere voces.
Inter tot iuuenes quot festa luce sub vlmum
Conueniunt, ducuntque leues de more choreas,
Qui mea sperarunt socio connubia lecto,
Nullus erat, qui per sua blandimenta, vel ampla
Munera, virgineam potuisset flectere mentem,
Ante meas quamuis alta sub nocte fenestras
Assidui blanda iactarent carmina voce.
Et locuples agri fuit, et formosus Alexis.
At tu nescio qua mihi cor dulcedine vincis,
Igno-

Ignotoque animos tabescere vulnere cogis.
Sed leuis ante fuit qui nunc grauis aestuat ardor,
Tristia cum caro priuantur lumina pastu,
Dimidiumque meae diuelli sentio vitae.
O tua si nunquam mihi visa fuisset imago,
Non his ingemerem curis, nec in ignibus essem.
Quid faciam deserta? quid est cur viuere sperem?
Non ego te facti per parua foramina vitri
Amplius adspiciam, tenuem dum texo mitellam.
Nondum finis erat, cum me malus eminus Alcon,
Vt sequerer, magno expectans clamore vocabat,
Pallidior buxo Crocale tunc ire volentem
Suspicit, et niueis me circumplectitur vlnis,
Cumque vale extrema cuperet proferre loquela,
Impediunt medium lacrimae et suspiria verbum,
Proque sono creber madido singultus ab ore
Excidit, et iunctae luctantur flebile palmae;
Hunc ego cum viuus potui tunc cernere planctum,
Non aliquem tristi credam periisse dolore.
Quis veterum quam nos vnquam plus fleuit amantum?
Dura nimis miserum tunc me fortuna trahebat,
Iamque tenet, non a pleno licet ire caprili,
Non alias esses mihi tot non visa diebus,
Tantus ab illa animos nobis furor abstulit hora.

Nulla

Nulla magis requies, me tantus ignis edurit,
Sicelis vt simili non ferueat Aetna camino.
Nescieram, qualis res esset amare, sed eheu!
Nunc miser experior, quam sit lacrimosa voluptas,
Quam plerusque aloes fauus, oblectabile vulnus,
Alta querelarum piscina, doloris abyssus.
Quam male discrucier, quanto vagus impete ducar,
Vos patulae testes fagi, quas omnibus horis
Impatiens misere sublimi persono cantu,
Vt iam quaeque meos volucris moduletur amores.
Vos quoque in his omnes scitis conuallibus alni,
Incisa Crocales quae fertis nomina libro,
Quos gemitus, et quae semper lamenta profundam.
Di faciant felix vt hic sit finis amori,
Inque meum veniat tandem noua nupta cubile,
Et matres claudat Crocale, et mihi mulgeat agnas.
Longius est carmen, sed non memor omnia seruo,
Haec cantante semel nuper Corydone notaui.
DA. Non ita post factos dulce est cessare labores,
Nec saliens adeo blando fluat vnda susurro,
Quam tuus hic cantus; tenerum cape praemia,
capreum.

ECLOGA II.

Alphesiboeus, Tityrus.

AL. Quae meliora tuus furtim grex arua te-
nebat,
Hoc quod heri nusquam tu sis mihi visus in agro?
TI. Tanquam te lateat, quod rustica turba quot
annis
Festum concelebrat, quo clausum pastor ouile
Deserit, et pingui conuiuia praeparat agno.
AL. Hei mihi! quid dicis? video, me, Tityre,
ludis.
TI. Ecce nouae [illegible], nouus [illegible], nouusque
cucullus,
Et duo perones [illegible] [illegible] [illegible].
AL. Me pudet, [illegible], quis me malus abstu-
lit error?
Immo sacerdotello, qui nostrae praesidet vrbi?
Hic per adhaerentes compressis naribus orbes
Inspecta tabula, postquam quid nescio mussans,
Percurrit nouies numeratam pollice dextram,
Illud ad hebdomadam nobis ait affore sacrum.
Saepe tamen [illegible] [illegible] lapsa dierum
Tempora, qua viridis [illegible] imagine tellus.

Et

Et quod Strimoniae dudum rediere volucres,
Non adigi potui, quin hoc ego credere nollem.
Ti. Adfuit Antigenes, Chromis, Alcon, Mopsus,
Amyntas,
Et rubeam indutus tunicam Corydonis Alexis,
Astachilesque Mycon, cui gallinacea cauda
Candait in vario conum complexa galero.
Tu quoque nobiscum vellem Alphesiboee fuisses,
Magnaque vidisses ista certamina luce
Inter Bestauium Lycidam, quendamque Theonem,
Quae tibi, quando vacat, si vis, ex ordine dicam.
Al. Hoc age fac quaeso, sed quem, dic ante,
Theonem?
Nam quis sit Lycidas multis iam nouimus annis.
Ti. Vt verum fatear, quo natus nescio patre.
Matris enim, suus est vt caprae filius hoedus.
Hoc scio, quod domino quondam seruiuit Iollae,
Cui noctu exuuias, pictum furatus et arcum
Vix triiugum potuit fugiendo euadere lignum.
Al. Iam teneo, fragili solitus garrire cicuta,
Ridiculus toto fuit hoc in rure poëta.
Ti. Recte ais, at Latiis hac messe reuersus ab
oris
Quantas, audires cuperem, proclamitet artes,
Quam facili dicat se ludere posse Camena.
Hic vbi iam plenas consedissemus ad obbas,

Et

Et lenita fames et preſſa libido bibendi,
Intrat, et elato reſupinus taliter ore
Incipit, (intenti nos omnes ora tenemus)
Salue laeta cohors et praedita robore pubes,
Si foret ex vobis cui Muſica ſacra placerent,
Qui velit aeternis ſeſe immiſcere poëtis,
Dignaque perpetua modulari carmina lauro,
Me petat, hac longe celeberrimum in arte magiſtrum,
Clarum laude virum, redeuntem ex Phocide vatem,
Quo ſit Cirrha loco, qua ſit, ſcio, parte, Cithaeron,
Quas Parnaſſus aquas habet, et quae numina, Delphi.
Viſus Pieridum chorus eſt mihi, viſus Apollo,
Inter quos medius ſacras ſpatiabar ad vndas,
Et mea de viuis tingebam labra ſcatebris.
Hinc novus emineo tot notus finibus auctor,
Qualem non vſquam longiſſima protulit aetas.
Ipſe mihi Thamyras, mihi Methymneus Arion,
Et vetus Amphion, cedit mihi Thracius Orpheus,
Inſignisque Linus, quamuis pater adſit Apollo.
Praeferor hoc cunctis iam tempeſtate poëtis,
Quos Germana fouet, quos educat Itala tellus,
Nec mihi ſe quisquam potis eſt componere paſtor,

Seu

Seu Latium certet, ſeu Graecum ludere carmen,
Iudice ſi mecum certarit Tityrus Ande,
Iudice ſe victum concedet Tityrus Ande.
Nec mea Sicelides aequabunt carmina Muſae,
Quicquid et Aſcraeus modulatur arundine vates;
Mille iſtis calamis hoedos; et mille capellas,
Et totidem merui melioris vellera lanae,
Quaeque alia inſanus poſuit mihi pignora cantor.
Plura locuturo ſubitam collectus in iram
Talibus inſurgit Lycidas, et vocibus infit:
Quae mala te rabies, quae te dementia vexat?
Inter tot celebres vt faex et amurca Poëtas,
Qualis coniferas inter ſaliunca cupreſſos,
Vsque adeo falſis te tollas laudibus, vt te
Non pudeat tanto mendacia dicere faſtu?
Nos neſcire putas, qui ſis, quae carmina poſſis?
Sic vtinam, velut es nobis, tibi cognitus eſſes,
Et miſer in caecis latitares bubo cauernis,
Nec tot haberetis ludibrio oloribus, et non
Tam manifeſta foret, quae nunc inſcitia prodit.
Dic mihi paſtorem vel tot de millibus vnum,
Qui tibi victori pomumue nucemue dediſſet.
Tune malis aliquem potuiſti vincere culmis?
Qui tot ubique moues, quo cantas rure cachinnos.
Inſani pro Caſtalio te pocula Strichni

Credo

Credo bibiſſe, quibus tantum cepere furorem
Infatuati animi, medicos non conſulis aeger?
Tanta tibi fuerit ſaltem ſapientia vellem,
Vt ſi quas aliquo ſquillas prodire ſepulcro
Videris, hos vellas, et ab hac te peſte repurges.
Non tulit illa Theon, transuerſa tuentibus hirquis,
Antigenis baculum furioſa mente prehendit.
Sed leuior penna Lycidas mox proſilit, et ſe
Correptae citius propere tegit obice ſellae,
Si vir es et forti qua tibi ſub pectore virtus,
Aggredere, et minimum mihi curua in vertice crinem!
Adſpice quam timeam, trepido quam corde pa-
ueſcam,
Qualiter eſuriens conſpecto ſorice felis.
Hac etiam oppreſſum pulſaſſet voce Theonem,
Ni ſenior ſubito ſe interieciſſet Amyntas.
Quis nouus hic, inquit, furor eſt? quae bella paratis?
Non volumus tantas inter vos ſurgere lites,
Pone Theon baculum, Lycida tu proiice ſellam;
Paſcentes non iſta decent conuicia vates.
Si tamen inſanire libet, contendite cantu,
Et videamus, vter melior: promptum eſſe The-
onem
Audiſti, nec adhuc credo certare recuſat.

F Tu

Tu modo si quid habes, sed non temerarius, aude.
Non ita, tum Lycidas, foecundum rusticus imbrem
Orat, vbi emoriens fisso seges aret in agro,
Et quia non aliud possum hic deponere pignus,
Aeratum hoc ferat ille pedum et mea pallia victor,
Tres nisi det victus ligulas, fac certet Amynta.
Ad quae verba Theon: huic quae fiducia vespae,
Andeat vt contra vocalem stare cicadam?
Tres ego non ligulas, tibi tres promitto capellas,
Indic quem vis cunque diem, vel iudice Pane
Non timeo, veniam calamis et voce paratus,
Et faciam ne plus hac me leuitate lacessas.
Effugium quaeris, Lycidas ait, incipe si quid
Iam potes, et quem te iactas ostende poetam.
Vince, nec hanc (si quam ducis modo) neglige laudem.
Quod si vis prior ipse canam, tu deinde sequare.
Quae simul ac dixit sublatam flectere vocem
Incipit, et nostras mulcere his cantibus aures.
(Vt sim tite memor, diuae concedite Musae)
Mirabar, faciles quid aprica per arua Napaeas,
Atque alias quot habent iuga, siluae, et lustra sorores
Cum Satiris Faunisque leues agitare choreas
Adspicerem, et solito laetas plus more capellas,
Egressasque feras medijs colludere campis,

Quid-

Quidque, quod exsultans resonis in vallibus Echo
Tanta super densos iactaret iubila montes,
Cuique tuas tu Phoebe fides, Tegeaee cicutas
Aptares, cui me cantare Hymenaee iuberes.
Scilicet illud erat, modo quod geniale cubile
Sponsus init, celebratque tori conuiuia Daphnis,
Daphnis, quem genitrix conceptum Marte Lycoris
In sacro, nemorum et ruris decus, edidit antro,
Quem tot sperarunt socia in connubia Nymphae,
Plus tamen ante alias Dryope, Scyroque, Lyoque,
Et succensa, licet mediis Galatea, sub vndis.
Sed frustra, quoniam maioribus ille deabus
Dignus ab aethereis aliam detraxerat astris.
A patre iamdudum demissa Astrea tonante,
Induit humanam, Veneris sub imagine, formam;
Et se dissimulata deam dignataque virgo
Vmbrosis Triuiae siluis comes ire Dianae,
Innocuos caste transegit Hamadryas annos,
Dum iuueni matura suo modo ducitur vxor.
Pande marite fores, pictos insterne tapetes,
Fuluaque splendentes suspende aulaea per aedes,
En venit omnis agri chorus et tot ab aethere diui,
Thessalus et plures non vidit Pelion vnquam.
Ipsa Venus pulcro radiantem lumine sponsam
Ducit, et oppresso, gestit minor ire, decore.
Anteretroque leues Charites fragrantia nectunt

Serta, suam volucres matrem comitantur Amores.
Vna domi frendet tristi Discordia vultu,
Se quoque non ad eam pompam indignata vocari,
Cogitat obiecto formae certamina malo.
Non opus in Phrygiis pastorem quaerere siluis,
Arbiter ipse statim quae sit pulcherrima dicam
Iudicio ignoscet victam se fassa Dione.
Curre citate dies, festinum labere coelum,
Optatamque diu cupientibus aduehe noctem,
Nec tu tunc adeo promptis Aurora quadrigis
Surge, licet longum vetuli pertaesa soporem
Amplius inuisis nolles amplexibus angi.
Finge quid optares talem sortita maritum,
Ebria deliciis, desertique immemor orbis
Perpetua obductam sineres caligine terram.
Herculeis si tu poteras conceptibus olim
(Illicitis furtis) iussas duplicare tenebras,
Jam triplica, rogat hoc Iuno iustusque Hymenaeus:
Concipietur enim generosior Hercule proles.
Hic finem faciens iussit cantare Theonem.
Tunc miserum audisses illum disperdere carmen,
Vt melius duris scarabaeus strideat alis.
Cantus ei, vt quondam congressi ad flumina mures
Hostibus intulerint in margine proelia ranis,
Magna vtrinque fuit dictuque miserrima caedes;
Nos

Nos tamen interea compresso risimus ore
Tot vocum lapsus incompositosque sonores.
Sed nihil iste minus tentis ad tempora palmis
(Sic quoniam tectas maior vox ingruit aures)
Garriit, et magnum se aequare putauit Homerum,
Gauisus veluti quassans crepitacula pupus.
Quid multa? vnanimi lata est sententia voto
Victorem Lycidam, victumque tacere Theonem.
Hic meruisse negat, tres postulat ille capellas.
Al. Gaudeo plus, quam si natum mihi Battulus agnum
Nunciet; id veterem Lycidam potuisse sodalem,
Viuat, et hac secum contentus laude fruatur.

Ecloga III.

Faunus et Daphnis.

F. Daphni meum forsan vidisti saepe Cilyndum?
Insignem bonitate canem nullique secundum,
Quotquot vestra etiam tutantur ouilia Bessi,
Villosique Getae, latratoresque Molossi.
D. Albiolo clunes aspersum et crura colore?

Cui mutilae auriculae, nec laetior histrice villus?
F. Hunc illum, placuit ne tibi? robustior alter
Non fuit, et potuit volucrem praeuertere ventum,
Mille mihi lepores capreas, vulpesque prehendit,
Non ut in his paruis audax animalibus esset,
Non timuit viso concurrere cominus vrso,
Hoc tutum custode pecus per quosque recessus
Pauit, et infracta est rapidarum turba ferarum:
Illius haec virtus certis mihi cognita signis
A caeco catulo fuit, vt quem Gallica mater
Et similem fratrem primos e quinque cubili
Intulit, ille tamen post omnes lumina coepit.
Mortuus heu longam dormit sine fine quietem,
Qua Chartusiaci fruticosa cacumina montis,
Exiguumque patet praerupta in rupe sacellum,
Et vitreus flexo praelabitur Aedera cursu.
Quatuor ante dies laudata in pascua veni.
Quo puer in tractu dum venaretur Adonis,
Excitus e siluis medium sus fertur in agrum,
Quem gemini armabant, quanta in boue cornua, dentes,
Hunc meus vt vidit, subito feruore Cilyndus
Ardet, et arguta tacitum dat voce latratum,
Stricta manu teneo nequicquam vincula, currit,
Meque reluctantem quasi per duo iugera tractat.
Donec missa leuem concedit spira volatum,
Irruit

Irruit infelix et summos mordicus armos
Arripit, insultansque tenet, pugnamque lacessit.
Non mora, collectam frendens fera concipit iram,
Dextraque lunato medii secat ilia dente.
Protinus accurro, sed quid temerarius ausim?
Nil fuit in manibus mihi tunc, nisi flexile vimen;
Ascensa auxilium sublimis clamito quercu.
Haeret adhuc hirto mordens in tergore victor,
Dum prolapsa cadunt per apertam viscera rimam,
Oppetit indigno gemitu, multumque cruorem
Fundit, et hinc paruo tristem post tempore vitam
Exanime ad fagum facta scrobe condo cadauer,
Hos in rugoso superaddens cortice versus:
„ Fidus amansque sui custos dominique gregisque
„ Raptorum terror deuastatorque luporum.
„ Hic iacet insigni sublatus morte Cilyndus.
„ Ite canes alio, non hunc permingite grumum.
D. Me sine Faune queri, nihil haec te damna molestent,
Huc ades et nostri contagia conspice septi.
Quam misere infectus grex, et mutatus ab illis
Est ouibus, vestro quas [illegible]ectans nuper in agro
Sub nullo dixti meliores ire magistro.
F. Hei quae ignaua pecus neglexit inertia Daphni;
Nonne grauescenti potuisti occurrere morbo?

Et medicas adhibere manus, surgensque tenellis
Tuberibus vitium summa resecare nouacla?
Nec sinere in totum pestem proserpere vulgus?
Certa tibi infectae morborum signa dedissent,
Ni' Tibi socordi non sedula cura fuisset.
Quam tu pone pigris vidisses pascere labris,
Inuentoque ardens frictare in stipite tergum,
Huic propere explicitis quaesita per vlcera lanis
Impositum digito leuisses prouidus vnguen.
D. Vt se res habet ignoras succede sub vlmum,
Dum redeo, mihi quid post septa parumper agendum est,
Accipies qua sim deceptus fraude doloque.
F. Interea sparsas vado compellere tonsas.
D. In me nulla mali caussa est, ego donec adessem
Quam potui impendi, mea quae vigilantia, curam.
Tempus erat flauas quo campus habebat aristas,
Et curua armati sudabant falce coloni
Me quoque posthabitis ouibus mea facta vocabant.
Helcia, temo, iugum, radii, axis, tympana, canthus,
Feruida sollicitae fecere negotia menti.
Interea, tanti quando incubuere labores,
Conducto mercede pecus concredo Petulco,
Qui tacitum falsa condens sub imagine nequam,

(Hoc

(Hoc quod adepta mihi male rura fauerat in agro)
Inque meae interitum caulae molitur, et omnes
Lanicio populatur oues, perque aspera ducit
Tesqua, per horrentes vepribus spinisque salebras,
Et quae plena malis prata et iuga nouerat herbis,
Plus illi placuit cantans in messe Lycoris,
Et fucata genas Phyllis, quas saepe secutus,
Quando Cupidinei fructu poteretur amoris,
Deserta sine teste gregem sub valle reliquit.
Interea laesos sanies contracta per artus
Tuberat, et scabris surgit mentigo palatis,
Aspera sordentes obducunt tergora squamae,
Tempestiua linit nullus medicamina pastor.
Si qua dolens molli latus explicuisset in herba,
Viua statim veniens extraxit lumina coruus.
Cernis vt hic aries dubio vestigia gressu
Dirigat? vt geminae stent caeca in fronte cauernae?
Tunc et in affini qui pascit rure Philetas
Porrectis crustis blandae et popysmate vocis
In sua sex nostras pellexit ouilia foetas,
Octoque verueces, dextras quibus abscidit aures,
Ne binae possent crenae, mea signa, videri.
Tandem, (ne longa teneam te ambage) peracta
Tonsura segetum, vectis et in horrea metis,

Inſcius et nihil hoc ratus intermiſſa reuertor
Ad ſtudia et lorum vulgamque; pedumque capeſſo.
Iamque exorta dies fuit, et ſex altior vlnis,
Sol tepidos nonam radios diſperſit in horam,
Quas longinqua procul tondere per arua putaui
Nondum transpoſitis incluſas cratibus agnas
Repperi adhuc in quo cedens ego iugere liqui.
Cariceam ad caſulam propero iuuenemque requirens
Nil praeter lacerum in ſtratis offenſo cucullum.
Fugit enim et patrii repetiuit ouilia pagi.
Hic modo ſubſiliens illata incommoda ridet,
Et ſua, quae teneo, quondam fore paſcua ſperat.
Admiratus oues dimota crate recludo,
Et voco, ſed nulla recubantes voce mouentur.
Sordida tum video fluere atro vellera tabo,
Et plenam illuuie pellem, ſcabieque rigentem.
Quos ego nunc diuos, quae nunc ego numina poſcam?
Quid miſer aggrediar? de quo ſatis vtile ſumam
Conſilium? vel quae poterit medicina parari?
F. Laeto ſis animo nec tantis ſternere curis:
Quae pecudes ſanent miſcere vnguenta docebo.
D. Sic tibi diua parens ſaluum tueatur ouile,

Dic

Dic mihi si quid habes, mea nil medicamina possunt.
F. Tondendi primum tibi sunt circum vlcera flocci,
Et vino penitus purgandae flumine sordes,
Tetraque scabricies; tunc lotam cocta lupinis
Tingat amurca cutem, nigrumque bituminis vnguen,
Et vagus argenti globus, et quae spissa ruborem
Pix habet et viuum redolens terebinthina sulphur.
Nec grauis helleborus, candens nec squilla nocebit,
Et quibus ima panax in humo radicibus haeret,
His potes amentis succum admiscere cicutae,
Triticeamque simul puro cum fonte farinam.
Tristes quas papulae quas insanabilis vrit
Pusula (nos sacrum pastores dicimus ignem)
Continuo viuas resupinis obrue tergis.
Quod si forte velis dubiam tentare medelam,
Retrogrados potes in testa contundere grillos,
Et graciles terrae vermes, superadditus illis
Anseris adsit adeps acrique aspersus aceto
Viperei capitis cinis, hoc medicamine facto
Qua linere vides imbutum perline corpus.
D. Quae nam digna satis tibi praemia Faune rependam,
Quas referam grates? non me penes illa facultas.
F. Si maiore tibi possem succurrere vellem.

D. Ergo

D. Ergo bonis auibus longos feliciter annos
Exige, meque tibi persuade semper amicum.

Ecloga IIII.

Aepolus et Lollus.

AE. Lolle quis hic labor est, quos robora caedis in vsus?
Iam defessa suae tempus dare membra quieti,
Et tepidum ante focum pigrae indulgere senectae.
L. Aepole quotquot in hoc terrarum vidimus orbe,
Extremum ante diem se dicere nemo beatum
Debet et ex omni felicem credere parte,
Quantumcunque pecus propriis sibi pascat in agris.
Temporis illius memini, quo diues habebar
Et locuples pastor; mihi grex ouiumque suumque,
Atque capellarum pingues cum prole iuuencae.
Quid superest cernis, grauida his mihi forda sub alnis
Cum tenera pascit vitula, geminisque capellis.
Vix

Vix quibus obtentis dulci de limine pulsus
Has noua constitui magalia ponere valle.
AE. Heu quis tanta tuis casus dispendia rebus
Intulit? vnde tibi haec, refer, infortunia surgunt?
L. Quid referam? pauper facile in sua damna loquetur.
At dulce est fido curas aperire sodali,
Dant quoque nescio quae iusti solatia questus.
AE. Ede; sed interea cessans depone bipennem.
L. Et tu fagineo conside in caudice trunci.
Nemo est qui miseros plus contueatur agrestes.
Sera nimis tardo labuntur tempora sole,
Quae teneri portant maturos Daphnidis annos,
Viuus adhuc esset, vellem, pater et mea certe
Candidior fortuna foret, nec talis egestas
Me premeret; mea me felicem rura viderent.
Omnia coeperunt mutata lege retrorsum
Ire nouisque modis veteres deponere mores.
Nequicquam trepidus surdum reus ante tribunal
Lacrimat, et paruos numerat cum coniuge natos.
Dicere non ausim iam qualis aranea lex est,
In quam si incideret securus viribus oestrus
Rumpit, at imbellis miserabile musca susurrat,
Et circumsperso manet illaqueata veneno.
Sex ego iuridicis nunc haesi in litibus annos
Diuite cum Lycida cuius magis ampla crumena

Angu-

Nostraque post eadem consumet funera tabes.
Vna est quae reddit generosos mascula virtus,
Qua sine degeneres etiam cum Caesare reges.
Nunc ea quam rara est, imo quam nulla, videmus.
Haec nisi forte putes, alios equitare caballos,
Et segmentatas varie discindere vestes,
Omnia deliciis postponere, viuere porcum,
Praedari, spoliis inhiare, et temnere diuos,
Per quae nobilior cunctis est gesta Philarchus.
AE. Tutorem miseris illum venisse colonis
Audieram; periit paucis haec fama diebus.
L. Me mea, te tua spes, et opinio stulta fefellit.
Nullus vbique lupus, nullus sic noxius vrsus,
Nec grauior nostras tentat contagio caulas,
Non adeo malus est aestiuis floribus Auster,
Non immissus aper fonti, non grando racemis,
Non caper arboribus, non caulibus hispida campe.
Omnia deuastat, vorat omnia, reddit egenos
Quotquot vbique sumus pastores agricolaeque.
Quae sibi cunque videt fore commoda, quicquid habemus
Nulla iustitiae facta ratione piique
Surripit et vacuam, qualis leo, glutit in aluum.
AE. Nil dubita, quondam sat habebit, si quid Auernus,
Styx, Phlegethon, Cocytus et ater possidet Orcus.

L. Nos

L. Nos illi serimus, metimus, diffindimus arua,
Glebosos occamus agros, et quicquid agendum est,
Cum redit hibernum, quo nix et frigora, tempus
Iussa foco aduehimus gemebundo robora curru,
Non tenuem dat aquam, veteris non crustula panis,
Plena licet putres onerent carnaria pernae,
Et voluceris viuat collecti farris aceruus.
AE. Audio quod quidam Mantous Tityrus olim
Obtinuit blandis amissum cantibus agrum,
Si potes et quid habes, augustas carmen ad aures
Concine, compositas supplex meditare cicutas.
Forsitan haec poterint aliquam tibi ferre salutem.
L. Consulis in cassum: priscis id profuit annis,
Cum pius Augustus, cum clarus erat Maecenas
Carminum amatores nostrorum, ipsique poetae.
Barbara iam currunt contemtis secula Musis,
Est et iners vulgus, cantantes ridet agrestes,
Nec facilis tanto versus ausculta amore;
Quin et deficiens iam vox mihi desit anhelo,
Immissusque meas sapo suffocat auenas,
Porrectis numis opus est, nil fistula prodest,
Dulcius infelix tinnire pecunia coepit,
Et plus quam calami rigidas inflectere mentes.
AEP. Nescio, te miseror: quodsi mihi tanta facultas,
Quo possem tibi cunque libens succurrere vellem;
Et mihi praeteriens incommoda contulit annus.

Si tamen exiguum nolles contemnere munus.
Adiicerem foetam gemina cum prole capellam,
Quam procul in glauco cernis pendere salicto.
Et foecunda duos quater est enixa gemellos.
LOL. Quas tibi pro tanta grates pietate rependam?
Constat in aduersis qui sit sincerus amicus.
Hunc cape neruosis curuatum cornibus arcum,
Dulcia dilecti quondam solatia nati,
Dum fruēretur adhuc iuuenilibus integer annis,
Atque meas ducens nemorosa in lustra capellas
Depulit ex alta siluestres fronde palumbes,
Aut in signatum direxit spicula cliuum.
AEP. Cogor abire; vale: si vis hoc vespere mittam,
Et tua secretas duces ad mulctra capellas.

DAN.

DAN. HEINSII

NORDOWICVM SIVE INFELIX AMOR,

ECLOGA.

Scilicet haud nobis tantum licet esse poetis,
Dousa, quibus patriaeque vrbes populique serenis
Dulcia sordentes innadunt carmina curae:
Quantum quae placidis] indulgens ocia campis
Gens vitae secura suae, pecora inter et inter
Egelidas vmbras et candida numina ruris
Pectore securos tranquillo ruminat ignes.
Tityrus et pulcher Lycidas, huic cura Neaera;
Lusca Neaera quidem, sed etiam ditissima lactis;
Huic Nisae vicinus amor: Nordwicides ambae,
Ambae formosae Nordwicides: illa capellas
Promptior, haec seros compellere doctior haedos.
Pulchra Neaera quidem Lycidae, tibi Tityre Nisa
Nisa fuit: caecus, pueri, Deus vrit amantes.
Inter oues ergo placidas teßesque capellas
Sic prior argutum Lycidas effudit amorem,
Carmine, quod noster tacite sublegit Amyntas:

G 2 Len-

D. Ergo bonis auibus longos feliciter annos
Exige, meque tibi persuade semper amicum.

Ecloga IIII.

Aepolus et Lollus.

AE. Lolle quis hic labor est, quos robora caedis in vsus?
Iam defessa suae tempus dare membra quieti,
Et tepidum ante focum pigrae indulgere senectae.
L. Aepole quotquot in hoc terrarum viuimus orbe,
Extremum ante diem se dicere nemo beatum
Debet et ex omni felicem credere parte,
Quantumcunque pecus propriis sibi pascat in agris.
Temporis illius memini, quo diues habebar
Et locuples pastor; mihi grex ouiumque suumque,
Atque capellarum pingues cum prole iuuencae.
Quid superest cernis, grauida his mihi forda sub aluis
Cum tenera pascit vitula, geminisque capellis.

Vix

Vix quibus obtentis dulci de limine pulsus
Has noua constitui magalia ponere valle.
AE. Heu quis tanta tuis casus dispendia rebus
Intulit? vnde tibi haec, refer, infortunia surgunt?
L. Quid referam? pauper facile in sua damna loquetur.
At dulce est fido curas aperire sodali,
Dant quoque nescio quae iusti solatia questus.
AE. Ede; sed interea cessans depone bipennem.
L. Et tu fagineo conside in caudice trunci.
Nemo est qui miseros plus contueatur agrestes.
Sera nimis tardo labuntur tempora sole,
Quae teneri portant maturos Daphnidis annos,
Viuus adhuc esset, vellem, pater et mea certe
Candidior fortuna foret, nec talis egestas
Me premeret; mea me felicem rura viderent.
Omnia coeperunt mutata lege retrorsum
Ire nouisque modis veteres deponere mores.
Nequicquam trepidus surdum reus ante tribunal
Lacrimat, et paruos numerat cum coniuge natos.
Dicere non ausim iam qualis aranea lex est,
In quam si incideret securus viribus oestrus
Rumpit, at imbellis miserabile musca susurrat,
Et circumsperso manet illaqueata veneno.
Sex ego iuridicis nunc haesi in litibus annos
Diuite cum Lycida cuius magis ampla crumena

Angu-

Anguſtas mihi res fecit contractaque ſepta.
Ad mea communem lanii magalia callem
Triuerunt, ſed quodquod erat mihi, vile macrumque
Et vetulum dixere pecus pretiumque dederunt,
Carnis vt ſolum potuiſſent vendere tergus.
AE. Non ſic in media clamantes plebe loquuntur,
Cuique ſecant teneri pingui de carne iuuenci,
Etſi effoeta graues iam vidit vacca pronepteſ.
L. Hinc mihi contraſi quicquid fuit aeris, habebant
Verboſi rabulae et poſcentes munera ſcribae.
AE. Qui fora, qui medicos ſequitur ſit diues oportet.
L. Compoſitis tandem corrupto iudice cauſſis,
Vt nec eſt, nec lata mihi ſententia ceſſit,
Cum modo ſperaſſem vacuum inſtaurare bouile,
Vaſtataſque noua replere propagine caulas,
Ecce potentatum ſibi viſus habere Philarchus
Ex alia pulſus noſtra praefectus in vrbe
Irruit, atque alias, edicens quaerere ſedes,
Me notis laribus, me dulcibus expulit aruis,
Horrida quae quondam denſis ſpineta ſalebris,
Saepe mihi obtuſum feſſo fecere ligonem.
O quot ego his manibus truncos ſenteſque, vepreſque
Euulſi, quantos a Elua ad flumina campos
Adſpi-

Adſpicis, hirſuti, viruerunt arbore ſaltus.
In quibus aſſiduo cum me ſudare labore
Vidiſſet Corydon, vis te male perdere dixit.
Quid facerem? nihil inueſtes liquere parentes,
Praeter cariceam caſulam lacerumque caprile.
Et foecunda ſuper murem Foenilia coniux
(Haec quoque ſolius venit cum dote iuuencae,)
Magnam pulliciem peperit bis quinque puellas,
Et totidem pueros, quibus omnibus ipſe ſuperſtes,
Dum mea fata ſinunt, miſeram traduco ſenectam.
Me tamen ante velim crudelis Parca tuliſſet,
Et modo cum ſuperis coeleſtem ciuibus arcem
Incolerem, nec inops tanta infortunia flerem.
Nil parui de me poſſunt ſperare nepotes,
Perditus heu! omnis labor eſt ego linquere cogor,
Et tam culta mei tener alter iugera fundi.
Di faciant vt ſit, quam nunc ſecat vltima meſſis,
Et ſubeant poſthac tribuli, zizania, lappae,
Effoetisque leues glebis dominentur auenae.
AE. Non aliter faciunt quos imperioſa poteſtas
Tollit, et a magno qui nati ſtemmate ſurgunt,
Et veteri nobis ſe nobilitate colonis
Praeponunt altoque volunt in honore timeri.
L. Vnde haec nobilitas noſtri mortalibus aeui?
Primitus ex vno eſt hominum patre nata propago,
Sumſimus e putri nos omnes corpora limo,

Noſtra-

Nostraque post eadem consumet funera tabes.
Vna est quae reddit generosos mascula virtus,
Qua sine degeneres etiam cum Caesare reges.
Nunc ea quam rara est, imo quam nulla, videmus.
Haec nisi forte putes, altos equitare caballos,
Et segmentatas varie discindere vestes,
Omnia deliciis postponere, viuere porcum,
Praedari, spoliis inhiare, et temnere diuos,
Per quae nobilior cunctis est gesta Philarchus.
AE. Tutorem miseris illum venisse colonis
Audieram; periit paucis haec fama diebus.
L. Me mea, te tua spes, et opinio stulta fefellit.
Nullus vbique lupus, nullus sic noxius vrsus,
Nec grauior nostras tentat contagio caulas,
Non adeo malus est aestiuis floribus Auster,
Non immissus aper fonti, non grando racemis,
Non caper arboribus, non caulibus hispida campe.
Omnia deuastat, vorat omnia, reddit egenos
Quotquot vbique sumus pastores agricolaeque.
Quae sibi cunque videt fore commoda, quicquid habemus
Nulla iustitiae facta ratione piique
Surripit et vacuam, qualis leo, glutit in aluum.
AE. Nil dubita, quondam sat habebit, si quid Auernus,
Styx, Phlegethon, Cocytus et ater possidet Orcus.

L. Nos

L. Nos illi ferimus, metimus, diffindimus arua,
Glebosos occamus agros, et quicquid agendum est,
Cum redit hibernum, quo nix et frigora, tempus
Iussa foco adiuehimus gemebundo robora curru,
Non tenuem dat aquam, veteris non crustula panis,
Plena licet putres onerent carnaria pernae,
Et volucris viuat collecti farris aceruus.
AE. Audio quod quidam Mantous Tityrus olim
Obtinuit blandis amissum cantibus agrum,
Si potes et quid habes, augustas carmen ad aures
Concine, compositas supplex meditare cicutas.
Forsitan haec poterint aliquam tibi ferre salutem.
L. Consulis in cassum: priscis id profuit annis,
Cum pius Augustus, cum clarus erat Maecenas
Carminum amatores nostrorum, ipsique poetae.
Barbara iam currunt contemtis secula Musis,
Est et iners vulgus, cantantes ridet agrestes,
Nec facilis tanto versus auscultat amore;
Quin et deficiens iam vox mihi desit anhelo,
Immissusque meas sapo suffocat auenas,
Porrectis numis opus est, nil fistula prodest,
Dulcius infelix tinnire pecunia coepit,
Et plus quam calami rigidas inflectere mentes.
AEP. Nescio, te miseror: quodsi mihi tanta facultas,
Quo possem tibi cunque libens succurrere vellem;
Et mihi praeteriens incommoda contulit annus.

Si tamen exiguum nolles contemnere munus,
Adiicerem foetam gemina cum prole capellam,
Quam procul in glauco cernis pendere salicto.
Et foecunda duos quater est enixa gemellos.
LOL. Quas tibi pro tanta grates pietate rependam?
Constat in aduersis qui sit sincerus amicus.
Hunc cape neruosis curuatum cornibus arcum,
Dulcia dilecti quondam solatia nati,
Dum fruecetur adhuc iuuenilibus integer annis,
Atque meas ducens nemorosa in lustra capellas
Depulit ex alta siluestres fronde palumbes,
Aut in signatum direxit spicula cliuum.
ARP. Cogor abire; vale; si vis hoc vespere mittam,
Et tua secretas duces ad mulctra capellas.

DAN.

DAN. HEINSII

NORDOWICVM SIVE INFELIX AMOR,

ECLOGA.

Scilicet haud nobis tantum licet esse poetis,
Dousa, quibus patriaeque vrbes populique serennis
Dulcia sordentes innadunt carmina curae:
Quantum quae placidis] indulgens ocia campis
Gens vitae secura suae, pecora inter et inter
Egelidas vmbras et candida numina ruris
Pectore securos tranquillo ruminat ignes.
Tityrus et pulcher Lycidas, huic cura Neaera;
Lusca Neaera quidem, sed etiam ditissima lactis;
Huic Nisae vicinus amor: Nordwicides ambae,
Ambae formosae Nordwicides: illa capellas
Promptior, haec seros compellere doctior haedos;
Pulchra Neaera quidem Lycidae, tibi Tityre Nisa
Nisa fuit: caecus, pueri, Deus vrit amantes.
Inter oues ergo placidas tenesque capellas
Sic prior argutum Lycidas effudit amorem,
Carmine, quod noster tacite sublegit Amyntas:

Lentius o noſtrae procedite lentius agnae.
Pulchra Neaera ſuos in gramine condidit artus:
Dormit pulchra Neaera: leues accedite venti.
Pro Zephyro Zephyriti (Deo non credimus vlli)
Lactea tranquillo percurras pectora motu.
Dormit pulchra Neaera: inſani auertite tauri
Cornua, nec dulcem magitu rumpite ſomnum.
Lentius o noſtrae procedite lentius agnae.
Bis dominae faciem volui defendere ſolem,
Bis metui mollem dominae turbare ſoporem.
Blandus, Somne pater, certe es Deus: ipſe ego nuper
Inter arenarum tumulos hoc fuſus in antro
Viſus eram tardas verſare in littore capras,
Viſus eram pulchrae componere colla Neaerae.
Lentius o noſtrae procedite lentius agnae.
Et iam corpore corpus, et oribus ora fouebam,
Dulceque neſcio quid ſpirabam, iunctaque linguae
Pendula lingua natabat, et albo mollior hoedo
Halitus occulto perfuderat oſſa calore,
Et Somnus mihi numen erat, nec ſomnia credi
Illa merebantur: fuerant ſed ſomnia tantum.
Lentius o noſtrae procedite lentius agnae.
Certe Somne pater breuis es Deus: omnia tollis
Ocyus et reddis deceptae gaudia menti.
Bisque vale dixi formoſa, locumque notaui;

Bisque

Bisque iterum hoc ipſo volui dormire ſub antro,
Bisque eadem optaui mihi ſomnia: ſed mea vota,
Naiades et ponti dominae riſere puellae.
Lentius o noſtrae procedite lentius agnae.
Quin thalamum, mea Vita, ſimul, quin iungimus ora?
Laetus Hymen Hymenaee pater cantabit Iolas,
Et Crotale dulcem verſabit in igne polentam,
Spargens humida mella, laboratamque farinam;
Phyllida Damoetas, Amaryllida ducet Amyntas,
Vicinus teneram cantabit Tityrus Aeglen.
Lentius o noſtrae procedite lentius agnae.
Dote nec inſanus mecum certauerit Alcon,
Nec veſter Lycidas, nec fuſci filia Codri:
Sunt mihi bis deni, totidem cum matribus, haedi;
Sunt et opes, quas nunc genitor mihi ſeruat Alexis,
Fiſtula dulce ſonans: celebris qua ſaepe Menalcas
Flexit aberrantes Nordwico in littore tauros.
Lentius o noſtrae procedite lentius agnae.
Velamenque ſub hoc mater quod texuit antro;
Artis opus rarae: croceo nam ſtamina limbo
Ambiit, et ſummas diſtinxit pellibus oras.
Quod toties frater cum poſceret inuidus Aegon,
Hoc Lycidae ſeruamus ait; dum plenior annis

In thalamum pulchrae migrabit et oscula Nymphae,
Lentius o nostrae procedite lentius agnae.
Sic Lycidas. Dulcem Lycidae sic Tityrus ignem
Excipit, errantes numerans per prata iuuencas.
Candida Nisa tuae pulcherrima nata parentis,
Te tenuem nigramque et multo sole perustam
Aemulus affirmat Lycidas: mihi pulchra videris,
Mollis, dulce meus; sed ferrea ferrea certe es.
Namque antrum bis mane, bis omnia pascua frustra
Praeterii, pecudesque tuas: voluique videri
Pelle noua circum niueoque incinctus amictu.
Candida Nisa tuae pulcherrima nata parentis.
At tu auersa feroxque meos non cernis amores.
O lacrimae! o umbrae Nordwicides! illaque nigris
Nympha superciliis! viridi cui semper in antro
Altera supplemus tepido mulctralia lacte,
Et geminos clam matre duos subduximus haedos.
Candida Nisa tuae pulcherrima nata parentis.
Dicite lasciuae Cadwicides, accola ponti
Turba, maris spumis et vestra mollior alga,
Non ego sum pulcher? non natus ad oscula? nam me
Mater auo similem Corydoni dixit, et ipsa
Thesty-

Thestylis ipsa suo me praetulit inuida Codro,
Et mollis Crotale, et vicini nata Myconis.
Candida Nisa tuae pulcherrima nata parentis.
Et quoties saturas Cadwici cogimus agnas,
Exiliunt ridentque omnes, tangique recusant,
Et metuunt sperantque simul: fugiuntque sequentem,
Et fugienti instant, et inania murmura fingunt,
Et metuo, inuitus ne cogar: et oscula saepe,
Improbaque auerso despexi murmura vultu.
Candida Nisa tuae pulcherrima nata parentis,
Certe ego (nam memini) tenui lanugine malas
Vixdum scriptus adhuc, gelido qua flumine Rhenus
Labitur, et glacie flauentem cingitur alueum,
Cum pastoribus hic indulgent dulcia Nymphae
Oscula, cum gelidis nixae vestigia lymphis,
Percurrunt patrium lepidae Nordwicides amnem,
Candida Nisa tuae pulcherrima nata parentis,
Bina tibi fixi puto basia: corque perussit
Nescio quis calor intus, et altera et altera fixi.
Et Lycidae, nunquam, dixi, mihi talia mater
Quamuis picta sinus et flauos pulchra capillos,
Non genitor tulit ipse: paterque in fronde Palaemon
Risit, et obscura latuit circumdatus alga.

Candida Nisa tuae pulcherrima nata parentis.
Scilicet ex illo mihi tempore pectora durum
Vulnus alunt: nec iam velut ante et gramen et herba
Nec iuuat, vt prius, inter oues interque capellas
Cum Damales fusca choreas deducere nata:
Nec iuuat occulto sub gramine nocte latentem
Lugduno reduces furtim terrere puellas.
Candida Nisa tuae pulcherrima nata parentis.
Et quoties vernas genitor me mittit ad agnas,
Et matutinas genitrix me mittit ad herbas,
Nescio quae tepidos febris noua pascitur artus,
Nescio quis nouus ardor habet: consultaque nuper
Baucis, anus vicina, tui vicina Lycorae,
Tityre dixit, amas: et credere cogimur illi.
Candida Nisa tuae pulcherrima nata parentis.
Sic pueri cecinere: leues in fronde capellae,
Cumque suis laetae salierunt matribus agnae.

HVGO-

HVGONIS GROTII

MYRTILVS

IDYLLIVM NAVTICVM AD DAN. HEINSIVM.

Prima mihi filuis et amoeno fonte relicto
Fistula ad Oceani fluctus, et ad aequora venit,
Aequora quae Batauis potius cantanda Poetis.
Nam neque me tantum saltus, aut pascua circum,
Aut Hagae nemus omne meae iuuat, inuia quantum
Littora, pendentesque domus, scopulique cauernae;
Non audita cano: Labor hic tibi sumitur Heinsi:
Heinsi noster amor: si quid mea carmina possunt,
Te Libycus Garamas, te Iaua loquetur et Indi,
Et puppes Austrina ferent ad sidera coeli
Dia Sophocleo tua pulpita quassa cothurno.
Dicite formosae Nereides, inclyta Ponti
Numina, quas voces, quae carmina, Myrtilus inter
Aërias rupes; et respondentia saxa
Cochlidis insano iactarit saucius igni.
Iam defuncta malis Pelagi ratis, acta per altum
G 5 Venit

Venit ad hos fines, vbi diuidit insula Pontum:
Cara mihi, et solo notissima Cochlidis antro.
Tiphy ratem serua: si nox collegerit Euros
Anchora demisso descendat in aequora ferro,
Aut littus praetexe, malus si saeviet Auster:
Sed breuia, et rapidos aestus fuge: dextera multis
Est via caeca vadis: securius ire sinistra.
Cochli, quid exspectas? quin, vt prius ipsa solebas,
Prospicis intonsi specula de montis in vndas,
Meque procul reducem longo clamore salutas?
Heu, quis mutauit mihi te Deus? an tibi pectus
Transuersum nouus egit amor? ne fallite nautae,
Sumne altus quam nuper eram, tum candida
Dorcas
Diceret, Hesperiis Dorcas praelata puellis:
Pulcher es; ipse tibi me iudice cedat Amyclas.
Illa quidem dixit: sed vix ego credulus illi.
Ipse tamen, tamen in placido me flumine vidi
Hirsutasque genas et latae frontis honorem,
Et roseos crines et caerula menta notaui,
Qualia vel Neptunus habet, vel qualia Nereus.
Testis anus Crotale, quae, ter mihi, Myrtile, dixit,
Despue: lingua tuos ne fascinet inuida vultus.
Haec eadem canto, quae cum cantaret Arion,
Mulceretque Deos Pelagi, circumsterit omnis
Delphinum chorus, et vatem ferebant in vndis?
Scili-

Scilicet aut Boreae veteres et Erechthidos ignes,
Aut Phorci laudes, aut caeruleam Amphitriten,
Aemulus at concha mihi perstrepit aequora Triton,
Miranturque sonum Panope Panopesque sorores,
Et Proteus, et Glaucus, et Inous Melicerta.
Heu placeo Nymphis: at non tibi: sola marinos
Despicis amplexus crudelis, et oscula vitas.
Quem fugis ah demens? secuerunt Di quoque pontum,
Et magni Minyae reges, et primus Iason
Per freta duxerunt abituram in sidera puppim,
Nauifragis iactatus aquis incendit Vlysses
Sole satam Circen Atlantiademque Calypso,
Et sibi Nausicaë tales optauit amores.
Quid iuuat, illa suum si me fastidit Vlyssem,
Quae mihi Nausicaa, Circe prior, atque Calypso?
Saepe ego te vidi, meminisses improba Cochli,
Cum per arenarum tumulos, et littora conchas
Oceani legeremus opes: nam tunc ego primum
Cum patre tentaui raucum mare, veris adulti
Tempore, necdum vlla pictus lanugine malas.
Saepe etiam, sera quoties sub nocte venirem,
Siccasti aequoreis manantes imbribus artus:
Nec te poeniteat. Prius hoc quoque fecerat Hero,
Cuius ego et turrim Sestaeo in littore vidi,

Nata-

Nataque collegi vicinis ostrea saxis:
En etiam tibi dona fero miser, en nucis Indae
Pocla, quibus potauit Arabs, Sinisque petitum
Fictile: non alias tremui propiore periclo,
Et nisi Leucotheen mea tunc in vota vocassem,
Infelix Stygias iuissem nauta sub undas:
Quin et Teutonicis mecum fero condita testis,
Smegmata, in Oceanum labentis munera Rheni.
His etenim Bataui, soli sulcare periti
Puppe salum Bataui, coeloque indicere ventos,
Martia gens toto pelagi diuisa profundo,
Mense quater rutilant nodatos arte capillos:
Hoc ego pigmentum poscenti nuper Erinnae
(Nata fuit magni Barcemonis illa) negaui:
Quamuis multa diu per Dorida, per Galateam,
Per Thetin, erroresque meos quemcunque per orbem,
Luminibus paetis, et blanda voce rogaret.
Et poteram donasse tamen: nam saxea non est.
At tu nil misereris: in hoc ego pactile sertum
Effundam rabido flagrantes corde dolores.
Ipse tibi Rubro praedatus in aequore siluam
Alternas Laurus et Medica mala iugaui.
Nunc labor ille perit: nam tu mea munera curas,
Quantum dura silex Pontum, vel littora pontus.
Huc ades, vt casta velatus tempora quercu
Por-

Portuno ante alios, et dis, quorum aequora curro,
Sacra feram, reddamque reus sollemnia vota,
Quae rerum Oceanus genitor, quae Tethys, et ipse
Nympharum accipiat Nereus pater. O mea Cochli,
Huc ades, ut cellis mecum deprompta Falernis
Musta bibas, caesaque canens epulere iuuenca:
Aut si forte iuuant thynni, mollesque platessae
Te magis, et soleae, mecum piscabitur Olpis:
Est mihi namque domi non inuidiosa supellex,
Fiscellae virides, nodosaque texta plagarum,
Filaque, et haerentes maculis humentibus algae,
Cum Labyrintheo plexis errore sagenis.
Sunt iacula, et tumido fluitantes cortice fundae.
Pendet et aequoreo pecori lethalis arundo.
Setaque, et impliciti lumbricis pinguibus hami.
Quid loquor infelix? Cochlis nihil audit, et idem
Qui mea vela solent venti, mea verba tulerunt.
Si tibi dulce mei nihil est, o ferrea, vere
Ferrea, dulce tamen mea mors erit: aspice tantum.
Ibo per has cautes, summoque cacumine lapsus
Deferar in fluctus: nomen mihi debeat aequor,
Myrtoumque nouum fiat mare: viuite rupes.
Fallor? an huc Cochlis respexit, et omnia circum
Flabra silent, blandique fauet pellacia Ponti?

Hic

Hic recubans cantabo: iubet locus, altaque subter
Saxa supercilio cohibent vmbracula rupes.
Cochli, quid in solis consumère cautibus aeuum
Te iuuat, et pensis viridem donare iuuentem,
Dum teneros multo digitos subtemine lassat
Mater anus? nostram potius conscende carinam.
Illic et vitrei fluctus et marmora Diuum
Prona iacent, speculoque sali stat solis imago,
Et picturato resplendet in aequore coelum;
Sacraque Naturae miracula, gurges aquarum
Insequitur Phoeben, caudam Cynosurida magnes.
Quid mirum? sua quaeque trahunt: te Myrtile, Cochlis.
Illic falsa salo labentibus insula, cete,
Et validae Pistres, et Physeteres anheli,
Phocarumque natant examina: Pompilus illic
Per mare veliferum puppim comitatur euntem:
Illic nata Venus, comitata Cupidine paruo,
Nunc etiam concha patrias quae nauiget vndas,
Nudatoque sinu pulcherrima Cymodocea
Captat in apricis vernantes fluctibus auras.
Nam neque semper aquae furit implacabilis aestus,
Ventorumque fremit laxato carcere vulgus.
Sunt etiam Ponto sua gaudia; saepe per aestum
Gurgite pacato ridet mare: saepe remotis

Vul-

Vulturno et Borea, pluuiamque cientibus Austris
Oebalios tantum Zephyrus suspirat amores.
Longa ministeriis sunt otia, pace serena,
Mitia cum placidi requiescunt terga profundi,
Altaque languenti descendunt cornua velo.
Aut igitur tacito luctantur in aequore tonsae,
Aut vbi iam ferrum premit vnco dente carinam,
Nos genus irrequies, alii, quorum indiget vsus,
Buxea ligna damus rudibus tornata figuris:
Pars facilem oramus reditum ventumque ferentem
Ingentes in puppe Deos: pars sidera coeli
Metimur radio, et totum describimus Axem.
Solertis labor ille Tyri: quae prima meatus
Aetherios, et signa polo labentia vidit.
Tunc nosci coepere Ferae, custosque ferarum
Arctophylax tarde pelagum subiturus, et alter,
Ille quis est, lucet trino cui baltheus igne?
Heu miser excludor, duraque in rupe relinquor
Imbribus: ipse parat radiis liuentibus atrum
Sol Tartessiacis immergere fluctibus orbem.

GRE.

GREGORII BERSMANNI

ECLOGA I.

Iesus Christus.

Virginei prolem partus, summique parentis,
Versibus alternis Simeon cum compare Iuda
Cantabant, inter pecudes, prope culmina Bethlae,
Mulcebantque suo colles, et gramina cantu:
Ambo pastores, Hebraei sanguinis ambo,
Et calamis certare pares, et dicere carmen.
Tu mihi, seu requiem tibi dat vexatio morbi,
Seu te cura finit studii indefessa perennis,
Eloquii Ioachime parens Germane Pelasgi,
Annue conanti, Siculae modulamine Musae
Pastorum regis cunabula condere versu.
Transierat noctis medium, pronisque petebat
Luna rotis instans, spatium decliuis Olympi,
Cum sopor almus habet terris hominesque feras-
que:
Incepit Simeon, quem deinde secutus Iudas
Haec cecinit, recolens priscorum oracula vatum.

II. Naſcere magne puer, ſata virgine naſcere proles,
Paſtorum ſpes certa, gregis fiducia noſtri,
Naſcère promiſſum credenti ſemen Abrahae,
Abrahaeque ſimul nato, Abrahaeque nepoti:
Paſcentes hac valle greges dum ſeruat vterque,
Et potum paſtos hanc fontis ducit ad vndam.
IV. Naſcere vera Dei ſoboles, aequaeua parenti:
Omnia patris habens, verum de lumine lumen,
Eque Deo genitus Deus, immemorabile verbum,
Quod fuit ante aeui primordia, condita per quod
Omnia ſunt paſſim, quae condita cernis in orbe,
Naſcere Dauidi promiſſus, ſceptrifer heros.
II. Qualia ſuccreſcunt pingui plantaria terra
Quae ferro abſcindens tenero de corpore matrum,
Spem ſobolis, cultor genitalibus inſerit aruis:
Talis Ieſſea ſurgit de ſtirpe propago,
Iuſtitiae germen, fidei flos, herba ſalutis,
Aeterni robur patris, ſapientia, virtus.
IV. Carmen Ephrataei deductum dicite colles,
Et nemus omne ſonet, moueantque cacumina quercus.
Tuque nouos duc, Bethla, choros, vix cognita nuper
Ipſa tibi; nunc ciue tuo notiſſima mundo,
Ante Palaeſtinas tanto ſublimior vrbes,

Iuniperus fragis quantum eminet, vlmus ariftis.
SI. Salue nox precor, o talis nox confcia partus,
Pulcrior aurora, Solis formofior ortu!
Et tu, nafcenti quae praebes tecta puello,
Vix afino fatis ampla domus, vaccaeque marito,
Et ftipulis inftrata, luto congeftaque circum,
At nunc auguftis regum praelata theatris.
IV. Salue virginei flos intemerate pudoris,
Cuius fecundae mifcens fe fpiritus aluo
Ille Dei, impleuit diuino vifcera fetu,
Auctorem paritura fuum, paritura potentem
Ifaidae folio regem, qui terminet aftris
Imperium, dans iura polo, terraeque marique.
SI. Quem non lata fuo tellus complectitur orbe,
Non mare, nec coelum quod vaftius extat vtrisque,
Hunc capit impofitum praefepi, ignobile foetum,
Fafciaque inuoluens tenui circumdat amictu,
Vbera ducentem matris, rerum omnium egenum,
Quo certum praebente cibum non efurit ales.
IV. O miranda Dei commercia! conditor ille
Immenfus rerum, paruos influxit in artus;
Humani factus generis pars, incipit effe
Qui fuit atque fuo qui lumine cuncta ferenat,
Luciferi fatus ante iubar, Solisque nitorem,
Lucis eget, merfus tenebris, Sol, Lucifer idem.
SI. At tibi mortales fupra genus altius omnes,

Arguit

Arguit insueto coelum splendore coruscum,
Discutiensque nouo nocturnas igne tenebras,
Perque strepens sudum innocuis exercitus armis,
Carmine gratantum, et laetum Paeana canentum,
Gloria lausque Deo, sit pax et gratia terris.
IV. At tibi ab orbe alio portantes munera reges
Aurique, myrrhaeque et odori thuris acerras,
Officiosa tuas in cunas stella ciebit,
Prodigiis actos coeli, vatumque suorum,
Signabitque vias flammis, ac praeuia ducet
Extremis procul aurorae venientis ab oris.
SI. Nunc alacris tellus, siluae, et rura voluptas,
Nunc tandem laetentur oues, ouiumque magistri,
Aduentu pastoris io, Pastoris ouantes,
Dispersas qui per saltus, et pascua campi
Per saltus Carmele tuos per pascua Thabor,
Cogere venit oues, ouiumque vocare magistros,
IV. En vt laetitia valles, collesque supini
Exultant, plaususque ferunt ad sidera voces,
Et Deus, ille Deus, respondent vndique montes,
Qui mortale genus de faucibus eruet Orci,
Vindicis assertum dextrae victricibus armis,
Atque Erebi domitor, secum in sua regna reponet.
SI. Nuper dira lues infecerat omnia tabo,
Non amnem libabat ouis, non graminis herbam,

Impune attingebat, agros neque saeua per omnes
Huc illac errans, herbas vitiarat, et amnes:
Nunc simul et necis est compressa licentia crudae,
Nec lacus exitium pecori, nec pabula praestant.
IV. Quid fraus coeca tibi, deceptaque femina furto,
Immitis prodest coluber, victorque triumphas
Infelix, frustraque animis elate superbis?
Iam misera tibi parta venit victoria clade,
Iam tibi prostratum victoris calce potentis
Contritumque caput cerno, dux femina facti.
SI. Non lupus insidias clauso meditatur ouili,
Non vespertinus stabulum circumgemit vrsus,
Nec secura timent rabidos armenta leones:
Atque impune leo vitulo, lupus accubat agno,
Mirus amor: pardo misceri nec fugit hoedus,
Cumque vrsis vltro veniunt ad pocula vaccae.
IV. Victorem Solymae sertis ornate puellae,
Sternite humum foliis virescenti, et spargite flores.
Omnis in occursum regis ruat vrbe iuuentus,
Obuia cum palmis: placidi iuuet ora tueri
Principis, et patrium acclamare Osanna frequentes,
Victor io, Dux noster io, per compita currat.
SI. Nunc secura quies, tutique sub arbore somni,
Expertesque metus errant in montibus agnae.

Non

Nec pecori infestus praedo, custodibus anguis:
Ipsae mella ferunt quercus, paliurus oliuam,
Balsama corticibus sudant pretiosa myricae,
Balantumque greges distentant vbera lacte.
IV. Nunc gregus firmant claudi coeloque fruuntur
Oppressi caeca longum caligine noctis.
Aure bibunt surdi voces, mutique loquuntur,
Perrumpunt manes tumulos, vitamque capessunt.
Nunc vnum videas Pastorem, vnius ouilis,
Secernentem hircos agnis, ignobile vulgus.
Haec illi alterno referebant condita versu;
Audiit applaudens resonis concentibus aether,
Coelestumque chori magnum per inane volantes;
Audiuere ambos pacata silentia noctis;
Donec sideribus pulsis processit Olympo
Lucifer, et cunctis renuentibus extulit ora.

Ecloga II.

Iesus Christus.

Iosias, Banaias.

Cur non Banaia sollemnis haec dici,

Hanc ad fontis aquam, quoniam conuenimus ambo,
Alterno canimus deducta poemata versu?
BA. Non ingrata mones: foliis en ipsa canoris
Leniter adspirans, placidi fauet aura Paeonii,
Et blandi Soles, et cantu inuitat aedon.
Sed maior tu Iosia, prior incipe carmen.
IO. Cui tua pastorum non certat fistula cantu?
BA. Qui te quique tuae Musam fastidit auenae,
Illi herbae sapiant Sardoae, et sordeat Hybla.
IO. Quid tum, Mygdonii indutum si iudicis aures
Nunc aliquem, iuuat arguto plus anser olore?
Sed tu parcius ista: trahit sua quemque voluptas.
BA. Incipe Iosia, si quae praecepta decori,
Aut ILLI genitoris, habes aut seria BATTI:
Incipe, fida greges seruabit cura Saaphas.
IO. Immo, haec quod poscunt sollemnia, agamus vterque:
Ac ducis heu tristes obitus, ac vulnera nostri,
Et vitae partam superata morte salutem
Dicamus, meritumque eius tollamus ad astra:
Munus ad astra feramus adeptae grande salutis.
BA. Et iuuat, et fas est: nec gratior vlla supremo,
Quam nati memorans benefacta, Camoena parenti.
Da tua, Iosia, reddentur nostra vicissim
Carmina, quae nuper descripsi in cortice fagi:

Carmina victori celebrem gratantia palmam.
Dicite Sionides carmen mihi flebile Musae.
Sublatum immitis crudeli funere leti,
Aeterni Christum decus, et solatia patris,
Flebant pastores; ante omnes ora rigabat
Mater, inexpletum lacrimans, complexa peremtũ
(Ah immane nefas) corpus miserabile nati,
Perfossasque manus, traiectaque pectora ferro,
Atque cruentatum spinis caput, oraque pugnis
Liuida, tum claui terebratas cuspide plantas.
Ergo suis coelumque et sidera questibus implens,
Quem te, inquit, nate adspicio, quam dira nocentum
Supplicia! ah scelerata tuae ludibria gentis.
Dicite Sionides carmen mihi flebile Musae.
Illum etiam montes fleuere, et saxa iacentem,
Disrupti montes, diuulsaque saxa dolore,
Ipsa parens frugum tremefecit motibus orbem,
Horrendoque vrbes patefacta absorpsit hiatu,
Et coelo tenebras ostendit et antra silentum:
Tum fractis manes tumulis exire piorum,
Atque vrbem ingressi sacram, se ostendere multis.
Dicite Sionides carmen mihi flebile Musae.
Sol quoque praetexens atra ferrugine frontem,
Signa dedit luctus, et lurida lucis imago.
Tunc etiam Nereus percussus inhorruit vadis,

Et pelagi rabies, attollens vndique fluctus,
Incubuit terrae, angusto indignata teneri
Littoris obiectu, coelum mistura profundo.
Dicite Sionides carmen mihi flebile Musae.
Quid moror? ipsa labat iusto sine pondere Olympi
Celsa domus, quaeruntque suum solia ardua regem,
In cruce quem nostro pro crimine funera passum,
Nec diuinae aliquid iam maiestatis habentem,
Nec propriae nitidum formae splendore, sed omnes
Infra mortales abiectum, sontibus aequum,
Terra tegit, lacerosque sinu complectitur artus.
Claudite Sionides carmen lacrimabile Musae.
Sic summo placitum patri, coeloque sedebat,
Qui morti auctorem vitae, culpaque carentem
Deberi poenae voluit, sub pondere labis
Demersum nostrae, sub auitae pondera noxae,
Redderet vt vitam cunctis, poenamque leuaret.
Tantae molis erat lapsam instaurare salutem.
Claudite Sionides carmen lacrimabile Musae.
BR. O mihi lacte meum, Iosia, o melle poema
Dulcius! Ergo tuis in labris cerea texta
Mellificum legit vulgus, tibi flumina linguae,
Flumina Cecropium manant spirantia nectar.
Stridula nunc tecum contendat canna Nachoris,

Sed tamen et tibi nostra, tuis cedentia tantum,
Quantum hederae lauris concedunt, vitibus vlmi,
Nostra tibi modulemur, auent et nostra referri
Carmina, nec mihi promissis te ludere pulcrum.
Sic pecudes non vlla tuas contagia laedant
Nec segetem grando, nec praedo infestet agellos:
Perge tuos nobis, Bauaia, dicere versus.
BA. Victor io, mea, victor io, cane tibia plaudens.
Ecce redit vitae ductor rediuiuus ab Orco,
Quem non, vmbratum regis manus omnis in
[illegible] magno [illegible] vnam [illegible]
Agglomerans agmen, nec vincla adamantina leti,
Non scelerum tetrae facies, non obice saxi
In tumuli stabulans foribus, custodia, victum
Perdomuit: quin ipse domos populatus Auerni,
Claustraque perrumpens tumuli, supera alta remisit,
Deuictos raptans hostes post terga reuinctos.
Victor io, mea, victor io, cane tibia plaudens.
Qualis vbi alternam reparauit funere vitam,
Pubescens obitu (mirum) Titanius ales,
Mox Indos repetit, nec iam reminiscitur aeuum
Quod flammis posuit, laetus viridante iuuenta:
Quem pone innumerae volucres comitantur eun-
tem,
Aera mulcentes cantu, et stridentibus alis
Talem Orco reducem, noua per compendia vitae,

Clarum luce magis, liquido magis aethere clarum,
Morte redemtorum sequitur chorus, ordine longo,
Gratantum simul, et regi Paeana canentum,
Victor io, mea, victor io cane tibia plaudens.
Nunc alacris siluas incessit, et arua voluptas,
Fronde virescentes siluas, et floribus arua.
Nunc meliorque diem sol promit, et aequore toto
Arrident placidi tranquilla silentia Ponti.
Nunc etiam terris clementior annuit aether,
Et genus in nostrum longam obliuiscitur iram,
Placatus nati precibus, Deus arbiter orbis.
Victor, io mea, victor io, cane tibia plaudens.
En sacer hic agnus iusso mactandus honore,
In trabe qui nostrae totius pro crimine culpae,
Victima, morte obita, mundi delicta piauit:
Diluit atque suo infernum scelus omne cruore,
Concretam purgans labem, purumque relinquens
Iustitiae sensum, coelestis semina mentis.
Victor io, mea victor io, cane tibia plaudens.
Nunc et morte iacet mors effera, dedita morti,
Nec stimulis furit vsque suis, nec falce cruenta
Peccati postquam legisque potentia cessit.
Anguis et ipse iacens calcem victoris adorat,
Quem penes est omnis terraeque marisque potestas,

Quem

Quem coelum supplex veneratur, Tartaraque horrent,
Cum patre, maiestate pari, cum Flamine sacro.

ECLOGA III.

Iosias.

Sionides Musae, paullo maioribus ire
Nunc velis lubet, ac primam legere aequoris oram,
Non omnes ripaeque iuuant, alnique cauatae.
Omnia nec pariter rerum sunt omnibus apta.
Dicite Iosiae nobis modulamina Musae
Pastoris, quibus ille agros mulcebat et amnes;
Iosiae, cuius stupefactus carmine, cursum
Oblitus requieuit aquas Philiraeus Elister,
Et motare graues coepere cacumina quercus,
Et foliis nemorum siluae assonuere canoris,
Et responsa cauis e rupibus antra dederunt.
Qualem pratorum assensu Libethria tempe
Ingeminant vocem, Phoebo cantante per agros;
Qualis et Orpheam Rhodope mirata Camoenam,

Nam-

Namque canebat, vti rudis ante exordia mundi,
(Ante deus quam congestas coelo abscidit vndas,
Atque interfuso disclusit ab aequore terram:
Ante nouum quam viderunt lucescere Solem
Secula, quam Lunae viderunt cornua noctes:
Quam stellas aether, volucres agitabilis aër,
Silua feras cepit, cesserunt piscibus vndae:)
Spiritus ipse Dei, natique patrisque potestas,
Par ab vtroque Deus, procedens numine numen,
Vectus aquas super, ipse suas librauerit alas,
Omnia viuifici praemulcens flaminis aura.
His addit, postquam coeli procuderat orbes
Aeternus mundi sator, et sator vnicus aeui,
Terrasque tractusque maris, camposque liquentes:
Spiritus ille, patris virtus, et dextera nati,
Hoc quodcunque vides, nullo fulcimine nixum
Stare opus, vt fuso suspenderit aëre circum,
Concordi socians discordia corpora nexu:
Tum dare frugiferos rebus nascentibus auctus
Coeperit, vt calor hoc omnis de fonte redundet;
Foecundansque solum, spatiosaque flumina Ponti;
Atque hominum pecudumque genus vitasque natantum,
Et

Et, quae per medium labuntur inane volantes
Et quae magna parens regit intra viscera tellus.
Hinc canit, vt mundi vigor hic conuexa supremi
Impellens, rotet assidua vertigine coelum,
Et contra obliquo tendentia sidera nisu;
Quae licet vrgenti vis saeua volumine retro
Conuertat, tamen aduersi non victa repulsu
Turbinis, audacem gaudent euincere metam.
Hinc culpae mersos immani pondere patres,
Adamumque Euamque atque horum a stirpe nepotes
Alloquio leuat et nutantia pectora firmat,
Seminis instaurans promissi speque fideque.
Nec silet ignitiuo raptum super aethera curru
Iariden: nec te tacitum sine honore relinquit,
Isacidum, Amramide, ductor fortissime gentis,
Quam rubri incolumen sistit trans marmoris vndas,
Ante tui moderata vias fax luminis, alme
Spiritus, aggestos alto maris inter aceruos,
Cum se diuisit pelagus cumulante profundo,
Et pedibus strauit stagnosa per inuia cursum.
Tum Pelusiaci fastum furiasque tyranni
Increpat, ore minas toruo spirantis atroces.
Ah rex infelix, quae te vaesania cepit?
Implerunt pauidam miracula plurima Memphin:

Ad

At non vlla tuae rabiem compescere mentis,
Non ausus potuere truces, non tristia facta;
Quamuis ira Dei pecudum diffusa per omne
Atque hominum grassata caput, demiserit Orco
Primitias sobolis, miseranda morte peremtas.
Ah rex infelix; tu nunc refluentibus vndis
Debes ludibrium ventis, et piscibus escam,
Tuque ducesque tui, peditumque equitumque maniplis;
Abramidum duce salua Deo gens, littora calcat,
Post exhausta sali discrimina. Discite reges
Iustitiam, summum reuereri discite regem.
Hinc Solymos memorat vates, praesaga futuri
Pectora, et afflatu sacri spiraminis armat,
Amosidem ante omnes, tali qui numine plenus,
Veridica populis oracula voce profundit,
Fata canens, Iessae nascendum germine ramum,
Iustitiae stirpem, pacis floremque perennis.
His grauidam adiungit (mirabile) virginis aluum,
Arcano fetam verbo, sine seminis auctu,
Vt sacer implerit fecundis flatibus, alto
Descendens vigor, omnipotens vigor, omnia firmans;
Quo se viscero intactae penitus miscente puellae,

Inte-

Intemerata nouo turgescunt viscera partu,
Auctorem paritura suum, matrisque parentem,
Vere hominem, veroque Deum, non nomine va-
num;
Principium sine principio, sine legibus aeui;
Te quoque collectum volucres in praepetis artus,
Oraque gestantem candentis pura columbae,
Spiritus alme, suo deducit ab aethere cantu,
Hinc referens, Christum infuso cum proluit amne
Zacharides coelique domus patefacta fragore,
Et patris resonam vocem est audita per aethram,
In natum cunctis dulcem testantis amorem:
Vt super amborum ceruice pependeris alis,
Desuper irradians diuum felicibus auris.

Tum socios Christi bissenos, igne coruscis
Circundat linguis, memorans vt turbine saeuo
Intonuit domus, inclusos quae ceperat intus,
Ah desiderio contactos corde magistri.
Cum Deus ipse palam manifesto in lumine visus
Delabi coelo, cunctisque innoxius ignis,
Multifido rutilas discrimine findere linguas.
Quid loquar? afflati propiore vt numinis aura
Ardescunt animi, nouus et praecordia motus
Intus agit, positaque alacres formidine leti,
In cruce mactati peragunt praeconia Christi,
Et vario gentes imitantur munere linguae!

Audit

Audit Arabs patriae miratus verba loquelae,
Audit Elamites, audit gens effera Parthus,
Sermoneſque ſuos agnoſcit Medus et Afer,
Cumque Palaeſtinis Cretum de gente profecti,
Et ſeptemgemini non jam nouus accola Nili,
Atque Aſiae ciues, Phrygia et tellure creati,
Et geniti Auſonia Mauortis in vrbe Quirites,
Audit quiſque ſuae commercia cognita linguae,
Et laudes, et facta Dei patrata per orbem.
Omnia quae ſenior, filiis diſcentibus, ore
Edidit ambroſio, factaque ibi fine quieuit,
Haud ſtudii fractus cura, ſed mole ſenectae
Jam grauior, longique ſimul tentamine morbi.

CHRIST.

CHRIST. GOTTLIEB SCHWARZII

ECLOGA I.

SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS MAGNI
GOTTFRIED OLEARII DICATA.

Thyrsis. Amyntas.

Thyrsidis, et fidi paucis dicemus Amyntae
Hortenses Musas: hortos quoque numina visunt.
Tu mihi, seu vatum diuina oracula tractas,
Seu iam splendenti redimitus tempora vitta
Altior incedis, faciles ne subtrahe vultus.
Quando erit illa dies, tantas cum dicere laudes,
Tamque sacrum liceat versu decurrere nomen?
Tu prima summaque mihi cantabere Musa;
Tu mihi materiam praebebis, tuque canenti
Ingenium facies, viuosque afflaueris ignes.
Accipe nunc leuius carmen; sine, fulgida gratis
Intertexta oleis catum caput infula cingat.
Qua riguus pingues fluuius disterminat agros,
Commoda curabat sollers pomaria Thyrsis,

Thyrsis, qui mira flores consueuerat arte
Surrigere, et teneram in fructus producere gemmam,
At nunc poma fero et flores neglexerat horti,
Mente gerens querula vix consolabile vulnus.
Hunc bonus, illustri Philyra digressus, Amyntas
Inuisebat amans, hortorum cultor et ipse.
Alloquio sese postquam impleuere cupito,
Gratamque in paucis hanc Thyrsis dixerat horam,
Quae sibi lugenti dilectum afferret amicum;
Haec inter sese vario sermone ferebant:
AM. Ecquid, Thyrsi, gemis? facies cur moesta videtur?
Quae te sollicitat latitans in pectore cura?
Nunc equidem accelerant caperata fronte decembres,
Nudaque stat passim delapsis frondibus arbor;
Ast fuit et florens aestas, remeabit et aestas.
Si veteres prima reuocasti e stirpe stolones,
Si defendisti teneras a frigore myrtos,
Vnxistique leui rimosa cubilia limo:
Iam tepidum ante focum iuuet indulgere quieti,
Et iuuet auctumni lectos consumere fructus.
TH. Non hiemem metuo: mihi, dum vel Sirius ardet,
Altera saeuit hiems, et spirant frigora Cauri.

Am.

Ah, nimis infandus miserum dolor occupat, ex quo
Nostros deseruit Daphnis venerabilis hortos,
Quos fortunatos Daphnis curauerat hortos.
Gloria quanta illis! Stetit omnis pulcrior arbor;
Omnia riserunt: sed postquam fata tulere
Daphnin, vidisses et ver squalere venustum.
Mens mihi torpuerat luctu. Vix falce supina
Detondi fluidas frondes, suetisque notaui
Areolas spatiis. Mihi amaracus aruit halans,
Aruit et laurus, frondescens aruit vlmus.
Languida demittunt moerore cacumina fagi;
Deplorant tiliae Daphnin, lugentque myricae:
Et merito, Daphnis quia non viridaria visit.
AM. Ne saeuos renoua luctus, lamentaque, Thyrsi,
Sat tuus haec nobis Meliboei nuper in horto
Narrauit Lycabas; nos damna haec sensimus ipsi.
Sed quis erit finis lacrimis? Sua gramina campi,
Pomaque deponunt mali: cumque omnia mutent,
Tanti moeroris cur non et taedia ponas?
TH. Non mihi sunt flores, quondam mea magna voluptas,
Non myrti, citrae: misero spes vnica restat,
Arbor, prae reliquis, quam nec Iouis horrida laedunt
Fulmina, nec boreae rabies, nec plurimus aestus:

Et sub qua recubans saepe acres lenio curas.
Haec OLEA est, veteri quae surgit proxima Cedro,
Propter aquam, et denso decliues vertice ripas
Integit; hanc Oleam noster quoque Daphnis amauit.
Atque en! Cur solito frondes formosior illa
Explicat, et pulcris contendit in aethera ramis?
AM. O speciosa arbor, quam magnis inclutus hortis
Alcinous propriam velit, Hesperidesque sorores.
Sed, quid viuaci signatum in cortice cerno?
Longa recens sculptis quae turget litera rimis?
TH. Ipse stupens dubito, quis talia scripserit auctor?
Fallor? an est Tityrus? Namque hic quoque laudat oliuam.
Haec lego, quae possum visu discernere, verba:
SIC OLEARIADAE NOMENQVE DECVSQVE VIRESCAT!
AM. O felix omen! ni mens tibi laeua fuisset,
Hinc etiam caperes solatia grata dolorum.
Hortis, Thyrsi, sacris nunquam decus omne peribit,
Dum crescant oleae, crescatque OLEARIVS ipse.
TH. Dii faciant, nobis tandem meliora recurrant
Fata, et demigrent tristi de pectore curae!

At

At tu, si quid habes de tanto nomine, dicas;
Ni forsan fallor, nec nos OLEARIVS odit.
AM. Quis foecunda Viri laudum praeconia nescit?
Quantum gaudebant Phoebo iuga Thessala; tantum
Hoc gaudet Philyre. Reliquis hic maior habetur,
Vt corylis ilex, vt myrtis alta cupressas.
Quo sit Cirrha loco, quoque ardua culmina Sinae;
Quid faciat segetes, tenet, et pomaria laeta.
Hoc quoque Damoetas fertur didicisse magistro;
Damoetas, claro qui vincit nomine multos.
Ille etiam tutos dabit a robigine flores,
Ille etiam vepres prohibebit et horrida ligna,
Aut his, si qua manent, roseos inducet odores.
Ille decus columenque meum; mea pendet ab illo
Mens, veluti lento crescens in palmite botrus.
Vtque sciant homines, sciat vt longinquior aetas,
Omnibus incidam gratantia carmina truncis;
Illius incidam teneris quoque gratus Honores
Arboribus, crescent illae, crescetis, Honores.
TH. Adspice, vt exsurgat, moterque cacumen Oliua.
Sed nunc vesper adest. Tibi siue Cydonia mala,
Seu tibi nux viridis placet, et rugosa mariscа;
Huc ades, inceptum cras continuabis honorem.

ECLOGA II.

Ἐπιθαλάμιος.

Amyntas. Phyllis.

Liligerae et Boii faustos dicemus amores:
Ite leues elegi; non vos moror: ite seuerae
Plectra lyrae: vos iam siluis et cedite ruri.
Est animus tenui carmen tentare cicuta,
Chalcidicoque sacros versu deducere taedas.
Saepe etiam virgulta iuuant humilesque myricae.
Tu mihi, seu docta recrearis Palladis arte,
Siue Patrum magno consiliis et ardua rerum
Pondera concilio versas, seu pectore laeto
Sollemnes natae thalamos Hymenaeaque curas:
Huc ades, et faciles siluestres accipe lusus,
VVRERE, o huius decus admirabile terrae,
Praesidium columenque meum! Tu suggere vires,
Tu mihi pro Phoebo liquidas Aganippidos vndas
Suffice: sic vltro claudus mihi cesserit Aegon,
Cesserit et Moeris. Sic, quamuis rustica, semper
Nostra tuas laudes nomenque Camena loquetur.

Quis

Quis vaga felicis Peggeli flumina nescit?
Quis patulos campos et vere fragrantia prata,
Notis vbi reliquas tantum supereminet vrbes;
Quantum ilex corylos vincit, myrtosque cupressus?
Venerat huc ingens pastorum nuper in vnum
Nympharumque chorus. Tunc turgent flumina plausu;
Iugera laetantur; resonant concentibus horti.
Vt piger auctumnus sectis rediisset aristis,
Arboribusque Aquilo passim rapuisset honores,
Tunc tamen hic ramos foliis vernare renatis
Auctumnumque pigrum veluti ridere, videres.
Liligerae fuerant ignes noua fabula coetus;
Liligerae Boiique ignes nemus omne canebat.
Ornatae tunicis hac gaudent ludere Nymphae:
Praxinoe, Panopeque venit, venit ipsa Neaera.
Pulcra Lycoris adest, Aegleque et candida Nysa;
Thestylis, et Galatea procax, roseique pudoris
Plena Phile, Dorisque minor, subfuscaque Phyllis.
Hac implent laeto pastores agmine campum:
Formosus Daphnis, toleransque laboris Amyntas,
Flauus Athys, Celadon venator, Myrtilus auceps,
Tityrus, et Coridon niger, atque bipennifer Aegon,
Narcissusque nitens, villosus membra Menalcas,

Et mixtus tereti baculo ruber Alphesiboeus;
Hybernaque senex rediens de glande Palaemon,
Et frondator Ilax: quis singula nomina norit?
Scilicet ardebant studiis aequalibus omnes,
Omnes certabant numeris extollere Boii
Liligeraeque toros, et connubialia festa.
Praeiuere choris vtraque ex parte canentes,
Phyllis Liligerae Boiique sodalis Amyntas:
Ambo florentes aetatibus, ambo subactis
Noridis in campis non vana laude probati.
Dum sic alterno referebant carmina cantu,
Liligeram Phyllis, Boiumque canebat Amyntas:
Incepit pastor, pastorem Nympha secuta est.
AM. Dicite, pastores, felicem dicite Boium!
Huius quis memoret Patrem quis nomen Auorum,
Inclyta qui nostri cantantur gloria ruris;
Mille quibus riguis errarunt vallibus agni;
Qui calamos inflare leues qui dicere versus,
Calluerant. Fuit his septem compacta cicutis
Fistula, quam validus nemorum deus ipse pararat.
Hanc seruat Boius, Boius cui sors bona ridet,
LILIDOR et socer est. Ecquis felicior illo?
PH. Dicite Liligeram felicem, dicite, Nymphae,
LILIDOR huic pater est, nostris qui Phoebus in aruis

Priscas

Priſcas delicias, priſcosque tuetur honores.
Illi paſtorum ſi quis certare canenti
Audeat, is cytiſo platanum, pinumque myricae,
Exiguumque vago riuum committeret amni.
In numerum ludunt, ipſo cantante, capellae;
Arrectaque truces conſiſtunt aure iuuenci.
Vidimus in cedris diffuſas ſurgere frondes,
In campis ſegetes geſtire, in collibus herbas:
Cum vario Florae modulamine diceret hortos;
Munera cum coeli caneret, Veſtamque potentem.
Eius per ſiluas celebramus carmina Nymphae;
Vos eadem, valles; eadem virgulta ſonatis.
Vosque eius numeros, Fauni, didiciſtis: et iſte
Liligerae pater eſt. Ecquid felicius illa?
AM. Dicite paſtores felicem dicite Boium;
Conſpicuus forma eſt, multaque perutilis arte.
Quo ſit Cirrha loco; qua ſurgant parte triones;
Quid grauidas faciat fruges, quid paſcua laeta;
Quae ſit cura gregis, tenet, et quo ſemina coelo
Spargere conueniat. Fauſto ſibi foedore iungit
LILIDOR hunc generum: nihil eſt felicius illo.
PH. Dicite Liligeram felicem, dicite, Nymphae!
Nulla puellarum melius variare labores,
Subtemenque poteſt diſcernere pulchrius auro.
Nulla volubilius percurrit pectine telas,
Liberiusque mouet citharas reſonatque Mineruam.

Tot sumus hic viridi similes aetate puellae;
Nulla tamen nostrum est, quae pulchrae cedere formae
Liligerae nolit. Suscepit sidere laeto
LILIDOR hanc natam: nihil est felicius illo.
AM. Dicite, pastores, felicem dicite Boium!
Ilicibus glandes decori sunt; vitibus vuae;
Fluminibus pisces; segetes vernantibus aruis:
Linus at omne suis decus est et nobile pignus;
Vna suae domui laus restat et vna columna
Liligera huic nupsit: quaenam felicior illa?
PH. Dicite Liligeram felicem, dicite, Nymphae!
Floridus in pratis cytisus, narcissus in hortis,
Aesculus in siluis, thymus in radicibus Hyblae;
Liligera in nostra bellissima Noride fulget;
Vnus amor chari genitoris, et vna voluptas.
Hanc duxit Boius: quisnam felicior illo?
AM. Dicite Liligeram, pastores, dicite Boium,
Felices ambos! Hi suauia vincula nectant
Tam iunctis animis, quam palmite stringitur vlmus,
Cingitur atque hederis annosa tenacibus arbor.
Ibimus et repetemus: Hymen, ades, o Hymenaee!
Hymen, o Hymenaee, Hymen, ades, o Hymenaee!
Ibimus et sponsis dabimus fragrantia mala,

Casta-

Castaneasque nuces, mitesque parabimus vuas.
Ibimus, haecque novis scalpemus nomina fagi
Corticibus: SACRA HAEC SPONSIS FELICIBVS ARBOR.
PH. Dicite Liligeram, Boium quoque dicite,
Nymphae;
Felices ambos! Hi dulcem carpere vitam
Instituant, et Auo pulchros transmittere natos.
Ibimus, et repetemus: Hymen, ades, o Hy-
menaee!
Hymen, o Hymenaee, Hymen, ades, o Hy-
menaee!
Ibimus, et sponsis quatuor donabimus agnos,
Semper et halantes suaui de flore corollas.
Ibimus, atque horum passim recinemus amores,
Vt virides etiam discant haec carmina lauri:
LILIGERA ET BOIO NIHIL EST FELICIVS VSQVAM.
Finierant: leuibus flauum caput extulit undis
Pegnesus, gelidamque vrnam commouit et omni
Festinauit aqua pulchris applaudere Sponsis.

ECLOGA III.

eiusdem cum praecedente argumenti.

Hyale. Lycoris.

Sat curis, Vir magne, datum; sat pectore moesto
Ter

Ter viduus, nimium properantis turbine fati
Disruptos flesti thalamos. Iam grata recurrunt
Gaudia; iam, vicibus versis, fortuna refulget
Blandior, et priscum consolatura dolorem
Tristia quadruplici iam foenore damna rependit.
Ergo inter dulces plausus, laetosque Hymenaeos,
Si vacat, agrestem paullisper respice Musam,
Musam, quae deuincta tuos veneratur amores.

Est locus in laetis proprius tibi Noridis agris,
Mons vbi non vnus, nutu vergente, reductas
Demittit sese in valles; vbi iugera prati,
Arboribusque frequens saltus; riuusque perenni
Prosilit e scatebra, qui leni murmure currit,
Et sapidos nutrit truttas, et temperat arua.
Nomen Thalheimo est: vbi dicitur ipsa Diana
Instituisse choros; et adhuc hinc inde Napeae
Exultant Dryades, quae pristina iura tuentur.
Hic, vbi purpureo pulcher surrexerat ore
Lucifer, optato connubia fausta reportans
Sidere; laetitia cliui vallesque mouentur.
Tum Dryades veniunt, et Heri socialia sacra
Plaudentes celebrant: pictisque ornata sagittis
Prodit laeta Hyale; prodit succincta Lycoris;
Vtraque Nympharum non vltima gloria coetus;
Insignes ambae numeris, venatibus ambae.
Illae, quo colerent thalami felicis honores,

Et

Et grato priscas lenirent carmine curas;
Alternis hilares numeris sua gaudia promunt.
Coepit prima Hyale; ceciniτque secunda Lycoris.
HY. Felix illa dies, qua nobis Sors bona reddit
Omne decus, quod ter tulerant nimis aspera fata!
Triste citris Boreas, et vultur triste columbis,
Arboribus fulmen; tot funera tristia nobis.
LYC. Felix illa dies, quae pulchros reddit amores,
Et quae restituit festiuae munera vitae.
Dulce rosis Zephyrus; ros dulce virentibus herbis;
Pisci dulce latex: thalamus reparatus amanti.
HY. Daphnis noster Herus; Daphnin nemus omne loquatur.
Huic si fulgentem pharetram, celeresque sagittas
Addideris; Daphnis, Phoebus censebitur alter.
LYC. Noriacas inter Nymphas quoque CLARA coruscat.
CLARA alte suras si vadat vincta cothurno,
Gestarique arcum; censebitur altera Phoebe.
HY. Fortunate veni, nec siluas neglige, Sponse!
Sponse, veni! Si te felicem silua videbit,
Vel gelidas inter brumas, hiemisque rigorem,
Silua inclinabit, ramoque virente coronam
Praebebit capiti, quanoque applaudet amori.
LYC. Fortunata veni, nec siluas neglige, Sponsa!
Spon-

Sponsa veni! Quamuis hiemis nunc frigora regnent;
Nec glacies dextram laedet, nec frigora plantas,
Ardet castus amor. Referes ver ipsa venustum,
Cum venies, gressusque tui noua germina fundent.
MY. O tantum libeat nobiscum visere rura,
Scrutarique nemus, campique exquirere praedam;
Vltro etiam gestit nobis occurrere dama.
Est leo Mauorti gratissimus; hircus Iaccho;
Formosae cygnus Veneri; vaga cerua Dianae:
Ipsa suis damam manibus dum *Clara* lacesset,
Nec leo praestabit damam, nec cerua Dianae.
LYC. Dummodo ne tenuis siluestria munera cultus
Sorduerint; vobis pulchram nunc dedico fagum,
Inque virescenti describo hos cortice versus:
O vigeat fagus, dulces vigeatis amores!
Prosperitas quadruplex signet sponsalia quarta!
Phoebus amat laurum; frondentem Pallas oliuam;
Calliope palmam; sublimem Pluto cupressum:
At, si vester amor crescat vigeatque perennis
Nec lauro fagus cedet; nec cedet oliuae.

Talia

Talia cantabant, Hyaleque, alacrisque Lycoris;
Augurijsque bonis recinebant omnia laetae
Tot reliquae Dryades; recinebant omnia siluae.
At recinent melius cum siluis carmina Nymphae
Ipse vbi *sponsus* amans, vbi *sponsa*que venerit ipsa.

FRANCISCI GVARINI, LVPIENSIS,

Menalcas

ECLOGA I.

Meliboeus. Moeris.

Moeri vides, quantum se lumen misit Olympo?
Quam subito nostris illuxit rupibus? Ecquae
Insperata salus? quianam sic ridet Olympus?
Cernis, vt ipsa sinum passim fert non sua tellus
Lilia? qua violae florem, qua mollis acanthi,
Narcissumque, etiam nigris vaccinia labris?
MOER. Imo equidem maiora: hic hic, Meliboee, vbi cliuus
Lene venit, facilemque viam scandentibus offert:
Vidi equidem, vidi ipse: vigil cum nocte sub alta
Condono excubias pecori. Deus ille, Deorum
An similis? tantis praebet se vultibus vltro
Maximus indigetum, coelo demissus ab alto.
Aurea caesaries olli per lactea colla,

Quam

Quem nulli cogunt noui? quaeque optima circum
Corpus obit, multo vestis praetexitur auro.
Hinc inde in versum pennae: non Cynthius illum
Luminis officio superet, radiisque micantis.
Extemplo turbatur agris: me pectus obire
Parte metus, maiore tamen sed parte voluptas.
Ille, o gens nimium vestro dilecta Tonanti,
Parce metu, dixit; bonis adsum, et lumine dextro.
Credite, nunquam alias vestro praeluxerit orbi
Laetitiae tam foeta dies. Ego lapsus ab astris
Haec terris refero: iam nunc sperate fluentes
Melle amnes, vinumque petra manantis olivi.
Quem cecinere patres, quem perditus audiit orbis,
Afflictis laturum olim solatia rebus,
Venit; cum radiis operoso et fulmine dextram
Exutum, dura genitrix componit arista.
Bethleos ite ad campos, et proxima rura;
Qua se proiecto subducit culmine rupes,
Inque antrum descendit: ibi (lacrimabile visu)
Vagit onus, terras qui nutu et sidera torquet.
Haec effatus, et exemplo, chorus ingens
Coelicolae, [illegible]
Addunt se, [illegible]que suos ad sidera cantus.

MELIB. Haec equidem iam olim nobis ventura Menalcam
Audieram cecinisse: ego tunc non credulus illi.
Namque canebat: vti magni iam voluere soles
Inciperent, purique dies, atque aureus ordo
Missus ab integro seclorum: vtque afforet, aluo
Enixura Deum thalami non conscia virgo,
O felix virgo, tantis quae adiungere terras
Foederibus coelo possis. Tu sidera praeter
Sublimis gradiere: tibi styx mugiet atra
Sub pedibus: te qui occiduas, quique vltimus oras
Accolit eoas, precibus votisque fatiget.
I virgo, i felix: et quae sit mollior auris
Orna fasciolam. i, manibus depectere lanas,
Non ipsas Tyrio saturas rutilasque veneno.
Nec tantum ista, imo his multo maiora canebat,
Quae fugiunt, numeris neque erant ea commoda nostris.
MOER. Et tu plura sine. hinc potius veniamus ad antrum.
Vt veniamus ad antrum, aequa est via. Quod modo restat:
Carmina, quae pueri dicemus, (rustica dona,
Carmina, credo equidem, respexerit) inter eundum

MELIB. Ex-

Experiamur. etiim multos desuenimus annos,
Cogere seu calamis animas, seu condere versus.
MELIB. Experiar: licet ista mihi iam oblita, neque vnus,
Moeri deest animus: tulerunt quoque tempora vocem.
Tu prior; alternis referam dein ipse camoenis.
MOER. Dicite io Sildae: iam viuimus. en noua fulgent
Astra: nouis en se fulgoribus induit aether.
MELIB. Vosque o pastorum deducta mapalia, coelum
Vincite: vos emeret coelum nunc omnibus astris.
MOER. Ex isto nullum fuerit mihi numen Apollo:
Nulla Palis, Cererisque; Iouis quoque numina nulla.
MELIB. Et mihi Bethleo qui vagit paruulus antro,
Vnus honos, amor ille idem, numenque manebit.
MOER. Paruulus in cunis alget Deus: at Deus ille
In cunis quanquam alget, adhuc mihi pectus adurit.
MELIB. Vrit adhuc et nos parilis rogus; arida qualis
Silua solet: si nata ferunt incendia venti.
MOER. Aspice, quei tellus se pingit floribus, ipsi
Vix laeti[illegible] cacumina montes.

MELIB. Imo ego praecelsis videor mihi celsior astris
Ire: suas sibi res habeat luctusque metusque.
MOER. Exinde insidias pecori defendite nullas
Pastores: nemo vestros iam fascinat agnos.
MELIB. Vertite aratra, boues: nullum manet aequor arandum;
Sponte sua venient nullo sub vomere fruges.
MOER. Sed nos, nec falsus videor, successimus antro.
Ille, ille est, Meliboee, locus, vos rura valete:
Rura valete: libet nostros ibi condere soles.

LYCIDAS

Eleonorae funus deplorat, quae ab India regrediens, naufragio facto, ad littoris arenam misere extincta est. Ex Maffeo Hist. Ind. lib. 16.

ECLOGA II.

Maenalus.

Qua iuga piniferi ducunt gelida antra Lycaei,
Saepe solent docti canere Arcades; Arcades vni

Conce-

Contemnit Phoebo; referunt dum carmina ad auras
Vocales inter silvas, rivulosque sonantes.
Incipite, o Nymphae, (fieri nam mandat Apollo)
Maenalides, quae per sata rura, per antra, per amnes,
O Lycida, parui dudum possessor agelli,
Irrita, sed bibulis fundebas irrita siluis
Carmina: et haec saevos etiam flexere leones.
Aestus erat, quo grata cadit de montibus vnda
Et valles inter querulis immurmurat auris.
Tum vero nemorosa quies pastoribus aegris
Propter dulcis aquam redit aequoris, atque sub vmbram
Ire pecus iussum lenta ad vestigia seruant.
Consistit vmbrosae Lycidas sub tegmine quercus
Interea; atque illum simus grex ambiit, atque
Morsibus obliquis olim depasta remandit;
In fletum hoc Pastor cum coepit arundine carmen,
Nunc ego, quas memori sublegi mente querelas,
Et numeros reddam numeris, et carmine carmen.
Fletis Hamadryades? iam flete: et agrestia, Fauni,
Numina, Syluanique leues, Satyrique biformes.
Vosque o Naiadas, genus aequoris, ite, maritos
Ad lacrimas toto dissoluere gurgite fontes.
Carmen, Hyperboreae quale audiuere myricae,

Coniugis Orpheae dum vita recessit in auras,
Orpheus Eurydicen, circa nemus omne sonabat
Eurydicen; (et silua sonos a stirpe secuta est)
Dicite: si qua mei tangit vos cura doloris,
Pierides Musae. Iamque Ismarus audiat, vnum
Non fleri Eurydicen, vnum non Orphea flere.
Incipe iam Ceos mecum, mea fistula, versus.
Hoc etenim positus repetam mihi funera saxo,
Ah, modo quae vidi, referens me rauca secundum
Littora, coeruleo facturus sacra Tyranno.
Incipe iam Ceos mecum, mea fistula, versus.
Viuus vidi oculis, et, cum tam saeua viderem,
Tunc ego qualis eram! vos aurae, et littora testes.
Stabat humi positum, crudeli corpus arena,
Foedatum; et pedibus fluctus maris allidebant,
Paullatim interea letum exanimata bibebat:
Paullatim aeterna condebat lumina nocte.
Me miserum! et veteris fugiunt vestigia formae;
Oceani qualis decumbens Cynthius vndis,
Condit se medium: medioque relictus in orbe,
Exanimes vrget radios; nec lumine viuit;
Nec periit: iam iamque suo nigrescit in anno.
Incipe iam Ceos mecum, mea fistula, versus.
Intonsi montes, et montibus addita summis
Silua:

[illegible] lucidis aurae,
Accipite haec; animoque vnquam ne ponite, Nymphae,
Nymphae siue iugum lustratis Oreades: aut si
Naiadas aurati sacrum caput allicit amnis.
Incipe iam Ceos mecum, mea fistula, versus.
Mille tibi Dryadum fleuere; et mille sub imo
Nereides pelago, praecinctae vestibus atris,
Ingemuere. etiam has inter pulcherrima fertur
Astra vocasse Thetis crudelia. nunc age, mecum
Incipe iam Ceos, mea rustica fistula, versus.
Ite, ite agrestes alio, mea regna, iuuenci;
Vosque tenellae alio, sat viximus, ite, capellae.
Tu quoque cara magis, si quondam Pana canebam
Fistula, Maenalidem (quoties, te Iudice, versus
Ilicis alternis libro descripsimus?) i nunc,
Fluminibus praecurre; ecce hoc te in gurgite mergo.
Quos lyra dat coelo cantus, dabis ipsa querelas
Aequore. perge: alacris sequar et tua funera, et vndas.
Desine iam Ceos, mea fistula, desine versus.
Haec ait, et celeres se praecipitauit in amnes.

JACOBI WALLII

ECLOGA

IVSTO VAN SVRCQ

e Belgio in occidentalem Indiam vela facienti.

Amyntas.

Solverat, et velis ibat majoribus alnus,
Atque ipsum Oceani ad finem, Solisque cadentis
Littora per longos fluctus vectabat Amyntam,
Dilectum Superis, et plenum numine Amyntam.
Cum puer infelix Lycidas abeuntia longe
Carbasa per lacrimas spectans, scopuloque residens
Littoreo, crebris implevit littora votis.
Quippe animo reputans secum, quos unda timores,
Quos habet et Boreas: quid et illa per aequoris aestus,
Insanasque hiemes veheret ratis. Heu, quibus ille
Incendit coelum precibus! quae vota canebat
Suspendenda tholis, staret modo littore puppis.

[illegible] non puppi superauit ab illa!
Ipse, ego, quae puerum audiui sub rupe canentem,
Si valeam, memorabo; et erit memorare voluptas.
Non frustra rapidos mulcemus carmine ventos.
Carmine ventorum cecidit fragor et freta ventis
Excita detumuere. Lyra vocalis Arion
Aequora composuit, delphino auditus et vndis.
Mitius o velis incumbite mitius Euri.
Carminibus fateor non haec fiducia nostris,
Lesbidos hoc citharae pretium. Sed lusimus et nos
Olim aliquid. Certe patrius me Liza canentem
Audiit et Musam tenuis laudauit auenae.
Mitius o velis incumbite mitius Euri.
Fallor? an hanc geminus placido iubet aequore Pollux
Ille potens in Puppi sedet, antennisque [illegible]
Praecipue fratrum: fratres ante omnia curat
Fratribus adspirat vultu, coeloque sereno.
Mitius o velis incumbite mitius Euri.
En procul a patria septem de fratribus vnum
Vela ferunt moestos orbis [illegible] alter et alter
Diuidit, et dulci adspectu et complexibus arcet,
Omnes Loiolidas, claris virtutibus omnes.
Mitius o velis incumbite mitius Euri.
Indus squalet ager, primisque in palmite gemmis

Illud in pastores: tangat modo litus Amyntas,
Iuuerit siluestrem animam mitissime collige,
Et viridum positis et far libabitur aris.
Mitius o velis incumbite mitius Euri.
Quis terris messem inuideat? quis montibus vmbras,
Pastorem stabulis? at si nauim aequora perdant;
Nec terris messes venient, nec montibus vmbrae,
Et male seruatos raptor lupus ibit in agnos.
Mitius o velis incumbite mitius Euri.
Dulce sopor fessis, medicae languentibus herbae,
Pax fessis bello populis, mihi salua carina.
Plus aliquid medicis ad litora deuehit herbis,
Plus aliquid, quam quod somnos pacemque reducat.
Mitius o velis incumbite mitius Euri.
Heu mihi quanta natat, qua noctes solibus aequat
Linea, stagnanti pelago ratis! Aestus utrimque
Destituit; nullo tenduntur lintea vento,
Stagnaque nequidquam pulsant torpentia remi.
Fortius o velis incumbite fortius Euri.
Sol ardens nullae franguntur incendia nubes,
Et tremulum geminat Solis iubar Amphitrite.
Ah, ne quid caro capiti grauis aestus et ignes
Officiant! ipsi languent Triones in vndis.
Fortius o velis incumbite fortius Euri.

Neritis

Nerine Galatea, (tibi namque omnia magnus
Posse dedit genitor) cunctantem impelle carinam.
Candida Cymothoe, nouum caeruleo comitatu
Huc ades et facili pariter succede labori.
Fortius o velis incumbite fortius Euri.
Si tibi quid nostri placeat; sunt vellera nobis
Appula, sunt et rubra corallia, pignora mater
Quae mihi cara sui moriens dedit, haec quoque vo-
bis:
Et leue si munus pretium quoque carmine crescet.
Fortius o velis incumbite fortius Euri.
Vos quoque formosae praetexite puppibus vm-
bram
Halcyones. Saeuos mandat defendere soles
Cara Thetis. Sic vos Nymphae Oceanitides
omnes
Semper ament, veteresque leuent Ceycis amores.
Fortius o velis incumbite fortius Euri.
Anchietae (meministis enim) cum haec ipsa per
alta
Iret, et ardenti remum lentaret in vnda,
Frigora conciliastis: et hic erit alter ab illo,
Atque iterum insignem mirabitur India vatem.
Fortius o velis incumbite fortius Euri.
Quos nunc ille ignes nutrit sub pectore! quantam
Romanis subolem, quantam promittit Olympo!

For-

Forsan et ipse suo, quae tradet, sacra cruore
Sanciet. Hunc sperat finem pretiumque laborum.
Fortius o velis incumbite fortius Euri.
Hactenus vmbroso scopuli pendentis in antro
Cantabat Lycidas, Lycoidae caua littora, et ipse
Respondit Nereus, vectamque per aequora clas-
sem
Impulit, et pleno iussit procedere velo.
Tuque adeo, seu nunc pelago decurris Amynta,
Seu te nunc aliquis fessum pelagique viaeque
Portus habet, seu nunc, iterum dum littore soluis
Mitius ut spirent, opus est, aut fortius Euri,
I felix, i noster amor, quo te tua virtus
Resque vocant. Quae te tellus, quae te aequora
tandem
Accipient, quaecunque polo conspexeris ignes,
A coelo nusquam verus iter. Quaelibet ante
Vna patensque via est. Non hinc tibi longius
illic
Sidera, quae quondam dabitur contingere, distant.

SIDRO-

SIDRONII HOSSCHII

ECLOGA

in obitum Georgii Chamberlini VI. Iprensium Episcopi.

Thyrsis.

Raptum immaturo deflebat funere Thyrsin
Infelix Lycidas, nec erant sua verba dolenti.
Tantum inter silvas, fontesque, et flumina Thyrsin
Ingeminans, fontes lacrimis augebat, et amnes.
Iam Thyrsin montes, umbrosa cacumina Thyrsin,
Convallesque cavae Thyrsin, collesque supini
Herbosis Thyrsin referebant flumina ripis.
Ut vero impastum, nullo custode, per agros
Ire gregem vidit, tendens ad pascua palmas
Constitit, et lacrimans haec vocem in verba resoluit.

Parcite oves nimium procedere, non bene solae
Collibus, et campis, silvisque erratis in altis.
Ipse lupum nuper post haec dumeta latentem
Quae petitis, multoque infestum sanguine vidi.

Nec

Nec, cum, Cogo pecus, clamarem, Tityre, fugit:
Heu! pecus infelix, postquam te cura reliquit
Thyrsidis, ah teneros quis iam cum matribus agnos
Ad colles pastum, quis potum ad flumina ducet?
Quisue vrsos, miseroque lupos arcebit ouili?
O Diui, quid oues in vos committere tantum,
Quid capreae potuere? quibus nec flumina sedant
Thyrside sublato nec graminis herba dolorem.
Florentem vt cytisum inueniant in monte capellae,
Ad stabula impastae redeunt e monte capellae,
Impastique gemunt plena ad praesepia tauri.
Thyrsi, tuum steriles etiam sensisse myricae
Interitum, moestique amnes, siluaeque putantur.
Vidi ego in arboribus sensim pallescere frondes,
In campis segetes languere, in collibus herbas;
Occiderat Thyrsis, lugebant omnia Thyrsin.
Thyrsis et Arcadium superabat Pana canendo:
Herbarum immemores illo cantante capellae,
Et teneri stabant arrectis auribus hoedi.
Ad pia siluestres veniebant carmina Fauni,
Et Nymphae, Dryadesque et capripedes Siluani.
Ipsa etiam numeros narratur Thyrsidis Echo
Et didicisse et nil reddidisse libentius vnquam.
At nunc pro numeris, pro cantu Thyrsidis Echo
Solum iterat mecum ereptum moestissima Thyrsin.
Nec tamen [illegible] quosque magistros,

Et quae cantando vincebat numina ruris,
Sed rigidas etiam flectebat carmine cautes,
Et deducebat celſas e montibus ornos.
Dulce ſonat querulo fugiens per gramina riuus
Murmure; dulce ſonat venientis ſibilus auſtri
Arboreas medius per frondes; dulce canoris
Alitibus ſiluae reſonant, arbuſta cicadis;
Dulcius arguta reſonabat arundine Thyrſis,
Seu ſiluas, ſeu, quis pecori ſit cultus alendo,
Seu caneret Superos, Diuumque referret amores.
Quid tamen iſta iuuant? paſtorum gloria Thyrſis
Num minus interiit? qui cantu ſaxa mouebat,
Num potuit cantu duras quoque flectere Parcas?
Frangite paſtores calamos; nil carmina proſunt.
Seruaſſent, ſi quid potuiſſent carmina, Thyrſin,
Noſtraque manſiſſet rurisque aeterna voluptas.
Triſte ſatis grando, maturis imber ariſtis,
Tempeſtas ratibus, nebulae florentibus hortis,
Miluius alitibus, nobis tua funera, Thyrſi.
Nec dolor hic citius miſeros, quam vita relinquet.
Ante feret ſaliunca roſas, poma ante cupreſſus;
Ante etiam hirſutis creſcent in ſentibus vuae,
Mella dabunt amnes, quercus feret omnis amomum,
Paſtores Thyrſin quam non lacrimemur ademtum.

Quam-

Quamuis iam siluas Thyrsis, melioraque nostris
Rura tenet, viridesque aeterno gramine colles;
Quos nec hiems niuibus, nec laedet grandine Caurus,
Nec lolium infestat, nec adurit solibus aestas.
Quamuis iam puro manantia flumina lacte
Libat, et aeterno manantes nectare fontes;
Quamuis sub pedibus nubes et sidera spectat.
At vos ite domum, infelices ite capellae,
Ite domum sine me: sed parcite rodere vitem,
Quam posuit Thyrsis, teneram cui saepe rigauit
Radicem, et nimias ferro compescuit vmbras.
Nec temere ingressae, coluit quem sedulus hortum.
Hinc ego namque rosas, et purpureos hyacinthos,
Et dulces violas, et candida lilia carpam.
His saltem infelix donis cumulabo quotannis
Dilectos cineres, circumque altaria spargam,
Et spargens flebo et paruo flens murmure dicam:
Thyrsi tibi violas et candida lilia spargo.
Tum vlmo vicinis incidam carmina fagis:
Hoc pecoris custos tegitur sub cespite Thyrsis,
Delicium syluae et pastorum Thyrsis amicus.

GVLI.

GVILIELMI BECANI

Ecloga III.

Isidorus.

Tityre coge pecus: venit Hesperus. Hic ego noto
Succedam nemori, laudesque adsuetaque soluam
Vota Deo. Par est votis praeuertere noctem.
Ibo, et Dauidico quae sunt mihi condita versu
Ad responsuras meditabor carmina siluas.
Intonsi montes, altaeque in montibus vmbrae,
Vmbrosi nemorum saltus, et pascua et amnes,
Et pluuiae et rores, matutinaeque pruinae,
Ventorumque leues animae, nimbique sonantes
Cuncta Deum laudate: Dei sunt omnia munus.
Rebus ab hoc vigor atque omnis primordia vitae.
Messibus hinc ager est, hinc pomis vtilis arbor.
Hinc oleum, et tristes animo pellentia curas
Vina fluunt, laeto florescit germine terra.
Terra parens frugum: sed quanto pulcrior illa est
Coelicolum regio, quam formosissimus ambit
Sol, et in exstinctis illustrant sidera flammis.

O Diuum domus alta, ingentisque aurea coeli
Templa, Dei sedes! o Sol! o candida luna,
Et toties oculis mihi visa madentibus astra,
Adspectu vt rapitur vestro, vt se iungere vobis
Mens ardet! iam nec fontes, nec flumina nobis
Ipsa placent: sordent vestiti gramine campi.
Iam siluae, praeter latebras plorantibus aptas
Nil, quod ametur, habent. Hic flendo condere
soles
Et totas iuuat in questus absumere noctes:
Hic damnare moras, et euntia tempora tarde,
Et nimium longos, coelo quibus absumus, annos.
Sic olim Isacidae, dominae, Babylonis ad amnem
Sederunt Solymae, memores, longumque gementes
Exsilium, ignotas turbarunt fletibus vndas.
E salicum ramis pendebant barbita, venti
Impulsu interdum gemitus imitata suorum.
Chaldaei venere, fero gens barbara cultu,
Quique Tigrim, quique Euphraten tenet accola,
venit,
Venere Assyrii, Medi venere coloni:
Omnes insultant captis, quaque ante iubebant
Vincula ferre manu, nunc plectra resumere man-
dant.
Eia agite, et quae olim, dum starent alta Sionis
Tem-

Templa, canebatis, depromite carmina nobis.
Hebraeis Babylon modulis sonet: en silet omnis
Ripa, silet nullis percussa fragoribus vnda.
Quis modus externis meditari patria terris
Carmina? vt inuisi Babylon sibi Numinis hymnos
Audiat? Hebraeos vt rideat impia cantus?
Hoc Deus, infensus quamuis nunc, hoc tamen, aiunt
Non sinat Isacidis cultus Deus. Ite profani.
Debentur Solymae, Solymae seruabimus istos
Quos petitis cantus: gemitus [illegible] reposcis.
O Solyma! o arces! o sancti culmina templi!
Exsiliique mei Babylon o tristis imago!
En erit illa dies vnquam, quae me quoque reddat
Dilectae nimium patriae, regnisque beatis?
En erit, vt terris excedat liber, et artus
Qui regit hos, puro se spiritus aethere condet?
Coelicolas vbi cernat, vbi cernatur ab illis?
Ah! quid non animo, quid non sum corpore passus,
Hac ego spe! quoties intactos, fonte reperto
Transiui sitiens latices, et languida traxi
Membra fame! quoties Cereris pro munere, curae
Et gemitus alimenta mihi, lacrimaeque fuerunt!
Errantem mediis si sol exureret agris,
Si ruerent densis hiberni nubibus imbres,
Perfundat pluuiis, dicebam, solibus vrat;

Tempus erit coelestes cum prouectus in orbes,
Altior et pluuiis et solibus altior ibo.
Si sine me in molli celebrarent gramine ludos
Pastores, si me tetricum tristemque vocarent:
Parcius, dicebam, coelo sperabimus ista
O pueri; coelum nobis maiora reseruat.
Quid? quod nescio quam cum Phyllida Thyrsis amaret
Infelix iuuenis, Corydon arderet Alexin,
Non illis diuinis mihi pectus amoribus arsit?
Num minus idcirco turgent mihi lumina fletu?
Idcirco nostras non audit silua querelas?
Audiat vsque tamen: coelum modo lumina spectent,
Vsque fluant lacrimis: est quaedam flere voluptas;
Dulcis amarities lacrimarum, ipsaeque querelae
Ipsi delectant, qui sunt in amore, dolores.

ECLOGA IV.

Dauid.

NASSON. Dicite io Paean, laetasque ad sidera voces
Mittite: victorem lauro redimite Dauidem
Pastores: meruit fieri sibi talia Dauid.

Dauid

Dauid in aduersum generosior ipse leonem
Iuit et ingenti distraxit hiantia nisu
Ora premens, lacerumque cruenta extendit arena.

NABOTH. Dauidem agricolae celebrate et tollite coelo.
Dicite, crescentesque iubete edisere lauros:
Regnat in vrbe Saul; rex nobis Dauid in agris.
Bellua saeua, ingens, Libani de montibus, vrsa
Intulerat sese campis, stragemque ferebat:
Dauidis confecta manu est. Frustra ore cruento
Infremuit, frustra rigidos surrexit in vngues.
Nec pugnaturus clypeum tulit ille vel hastam,
Tela fuere manus, inuicti tela lacerti,
Et virtus animi leto violentior omni.

CHELION. Carpite, securi modo carpite, gramina tauri,
Nec vastatorem timeant armenta leonem,
Vt nuper. Iacet ecce leo, rex ille ferarum
Siluarumque pauor: tabo per colla per armos
Concreuere iubae: lanit ater corpora sanguis.

NAS. Pergite oues campis procedere, pergite molles
Tondere in solis, puero duce, montibus herbas:
Cura nec ad caulas sera sit nocte reuerti.
Vrsus abest: vrsi proprio rubuere cruore
Infecti toties agnorum sanguine villi.

NAB. Ibimus et laeti exuuias, monimenta timoris

Praeteriti, pagos circum villasque feremus:
Excipient pompam, tauris ad aratra relictis,
Agricolae, nec se poterunt explere tuendo,
Mirati rictus et adhuc a morte timendum
Adspectum, et diris adsuetos caedibus vngues.
Cernere erit turbas puerorum, ipsosque sequentes
Cum terrore canes: ibit latratus ad auras:
Omne resultabit strepitu nemus, omne sonabit:
Regnat in vrbe Saul, rex nobis Dauid in agris.
Tum, quae vicina quercus stat maxima silua,
Tale sub affixis spoliis sibi carmen habebit:
Villosi caput hoc vrsi, caesique leonis
Haec, o posteritas, paruus tibi vellera Dauid.
CH. Spargite humum foliis, floribus praetexite ramos,
Pompa venit. Dauid princeps et gloria pompae,
Quid tum si tener est? si primo flore iuuentae
In niuea flauos crispat ceruice capillos?
Quanto vrsus vitulo; quanto leo fortior agno,
Dauidi tenero tantum leo cedit et vrsus.
Non validus Samson, non primum quos tulit aeuum
Pastores, quamuis geniti de stirpe gigantum,
Quamuis aërias aequarunt corpore cedros,
Certior infirmo pecori tutela fuere.
NAS. O inuicte puer, tibi circumiectus Ephratae
Col-

Collis et intonsus Carmelus et arduus Hermon
Dant plausum: pulsae referunt ad sidera valles:
Regnat in vrbe Saul, rex nobis Dauid in agris.
NAB. Arboribus vites decori sunt, collibus vuae,
Armento taurus, toruo sua cornua tauro:
Tu decus omne tuis. Te postquam caede ferarum
Perfusum, et geminum siluae videre cadauer
Venit honor siluis, stetit omnis pulchrior arbor.
EH. Viribus his alias, age, nunc circumspice pugnas.
Nunc liruos audire iuuet: nunc fortia bella;
Aggredere atque ipsos in proelia posce gigantes.
NAS. Audeat arma manu quisquis te sumere contra,
Nae de se coruis dabit ille voracibus escam.
Atque vtinam nobis tantum ex hoc suppetat aeui
Tantum oris, quantum sat erit tua dicere facta!
Non tali Gedeon, non tali carmine dictus
Nunniades fuerit: vincet tua gloria priscos
Vt corylos ilex, myrtos procera cupressus.
Iam nunc Allophyli, Madian, Arabesque Syrique
Responsis horrent diuum: tremit omnis Idume.
NAB. Interea textam de lauro sume coronam
Et palmae ramum pro tempore: quaeque coloni
Parua ferunt laeti, tu laetior accipe dona.
Ecce tibi calathis legerunt lilia plenis
Matres atque nurus: Tyrios potura colores
Vellera Bethleniae certant tibi nere puellae.

Mittit mella Thabor: Libanus tibi spirat amomum.
Ducit in Engaddi tibi montibus vua colorem.
Sed neque de terra missum Galaditide munus,
Aspernare, pedum nodis atque aere decorum,
Quod dedit Obededon, et cum daret, hoc manus, inquit,
Ista geret, quae semesam extorquere leoni
Non timuit praedam, faucesque inuasit hiantes,
Digna manus sceptro. Sed sint sua sceptra Sauli,
Et quacunque volet, regnet sublimis in vrbe:
Regnet in vrbe Saul, rex nobis Dauid in agris.

ECLOGA V.

Moses expositus.

Oppida sint aliis, campi mihi ruraque curae.
Flumina me teneant: tenuerunt haec quoque Mosen,
Et vitam et nomen, fluitans in gurgite summo
Debuit his olim: fluitantem gurgite summo
Musa refer Mosen, primus qui pangere carmen
Instituit, tenuique gregem mulcere cicuta.
Iam foetum Rachobeta suum sub luminis oras
Ediderat, iam mater erat, sed poenitet esse:

Et

Et mallet nullum, quam, quem seruare tyranni
Iussa vetant, natum. Quanto formosior infans,
Tanto maiori premitur luctuque metuque.
Ergo perire sinas, vitaeque in limine primo
Quem peperit, mitti patiatur piscibus escam?
Idcircone decem tulerit fastidia mensum,
Et fuerit duro partus defuncta labore?
Nil Pharao iubeat crudelius. Vt graue tandem
Cesset opus laterum, cessent immitia lora
Et scuticas et fustes; instat sors dirior illis
Ipse puer quouis magis exactore fatigat
Infaustam nimium matrem. Quodcunque moueri
Audit, qui sobolem rapiat, qui mittat in vndas
Aduentare putat: nec quid fugiatue petatue
Nec quid agat certum est. Vrget rex, regius aedes
Lictor obit: prodit sese vagitibus infans.
Sic lupus interdum, cum iam ferus ambit ouile,
Balatum ignari tollunt sub matribus agni.
Quid faciat? praeter questus, (solamen inane)
Nil habet in promptu: neque adhuc hos edere
tutum,
Resne, rogat tacite, nimii foret illa fauoris,
O superi, si, qui seruiles crescat in vsus,
Sitque miser mecum, puerum seruare daretis?
O vbi, quem vates nunc expectare iubebant,
Ille sui vindex populi, qui compleat omnem

Prodigiis Memphimi, qui terram ducat in illam
Afferos hinc Hebraeos, vbi fata beatas
Promittunt sedes, et mella fluentia campis?
Illius aduentum, nisi spe nos ludit inani,
Quam fuit optandum non hoc praeuertere partu!
Sic ait, et vano nequidquam fluctuat aestu,
Atque animum nunc huc nunc anxia diuidit illuc.
Cum tandem: Quod non aliunde, a fluctibus, inquit,
Speremus; quemque insontis seruire tyrannus
Exitio voluit, quaeramus in amne salutem.
Dixerat, et lento fiscellam e vimine textam
Inducit cera ac patientem reddit aquarum.
Ter puerum immissura fuit: ter victa dolore
Destitit: haud aliter tumulandum imponeret vrnae.
Postquam pauca dedit tanquam suprema iacenti
Oscula, flens flentem superis committit et vndis.
Vade, ait, infelix (agilemque a littore corbem
Impellit trepidante manu) fluuioque secundo
Labere. Si pereas, non me spectante peribis;
Si superis curae es, quam me tibi ferre negarunt,
Nilus opem praestet. Nilum sensisse putares:
Sic substernit aquas, sic summo leniter alueo
Commissum sibi portat onus. Natat ille pericli
Nuper vt in cunis securus. Fiscina quantum
Parua vehit fati! qui sit natat arbiter olim

Vnda-

Vndarum legem ponet fluuiisque marique.
Huius ad imperium decurret in aequora Nilus
Decolor, et fluctus mirabitur ire cruentos.
Huius ad imperium refugi maris vnda dehiscet
Et via diducto pandetur sicca profundo.
Arduus hinc stabit gurges suspensus et illinc;
Securi pedites siccis gradientur arenis.
Tantum aliquis, quo nunc agit in discrimine, praesto
Sit misero, et forti tribuat superesse futurae!

ECLOGA VI.

Mycon.

Lycidas, Chromis.

MY. Ibam, qua Grudiis sinuosus Dilia campis
Labitur, et multo conuestit gramine ripas.
Errabant circum pecudes, porrectaque late
Pascua mille boues tondebant, mille bidentes,
Dum tacitus Superos veneror, sicut meus est mos.
Ecce tibi subter salices Lycidasque Chromisque,
Et cantare pares, et respondere parati.
Vt Lycidas contra me conspicit: Huc ades, inquit,
Care Mycon: non te Chromin audiuisse pigebit.

Acce-

Accedo, et socius positis in gramine iungor.
Incipiunt illi meditatos dicere versus.
Sic Chromis exorsus: Lycidas sic deinde secutus.
CH. Eheu, quam pingui taurus macilentus in herba est!
Vbera quam referunt Corydoni sicca iuuencae!
Impius est Corydon, nec munera ferre sacellis,
Nec curat dare vota Deo: Deus illa rependit.
LY. Incolumes pascuntur oues capraeque Menalcae,
Lac sub solstitium, lac frigore suppetit illi.
Reginae Superum nulla non luce Menalcas
Supplicat: haec illi Superum regina rependit.
CH. Iactat Dampoetas, sibi quae Galatea locuta est,
Et Superum ferri demens exoptat ad aures.
At me lasciuae capiant quam verba puellae,
Experiar rabidi dentes, precor, ante, molossi.
LY. Interit indigno Nisae deceptus amore,
Dicit et in Diuos moriens verba aspera Damon.
At similis quam me teneat vesania, fiam
Obuius ante lupo desertis solus in agris.
CH. Accipiter nidis, stabulis lupus, improba vulpes
Cortibus infesta est, pueris amor atque puellis.
Ah saeue, ah fallax amor, ah mortalibus hostis,
Vt tua letifero sunt illita tela veneno!
LY. Alitibus laquei, mendaces piscibus hami,
Retia caeca feris: homini metuenda voluptas.

Deci-

Decipit, ac ritu prensatae elabitur vmbrae;
Corda tamen morsu vel sic ferit icta tenaci.
CH. O quibus est primi, iuuenes, vigor integer aeui,
Si studium vobis passim conquirere pulcra,
Vertite ad hanc curas, huic vos addicite seruos,
Quae peperit Numen: quid enim formosios illa?
LY. O quibus est florens aetas et forma, puellae,
Mutua vos si cura tenet, studiumque procorum;
Sit, facite, ante omnes vobis in amoribus ille,
Quem peperit Virgo: quis enim tam dignus amari?
CH. Triste gregi scabies, demessis nimbus aristis,
Florenti ceraso nebulae; iuuenilibus annis
Insanisse mihi. Testes sunt pascua et agri,
Quam crebri ex imo gemitus mihi pectore surgant.
LY. Dulce apibus flores, ver floribus, aura Fauoni
Purpureo veri; nullos experta furores
Aetas prima mihi. Nec agri, nec pascua norunt,
Quanta mihi manent ex illo gaudia fonte.
CH. Iam matura mihi vires firmauerat aetas,
Cum nil iucundum, nisi quod me perderet, esset.
Quid volui demens? inter requiescere spinas,
Dulciaque ex ipsis extundere mella cicutis.
LY. Tertius a decimo nondum me ceperat annus,
Cum desideriis coepi coelestibus vri.
Tempore ab hoc sic ille meo sub pectore creuit
Ardor,

Ardor, vt aestiui matura luce calores.
CH. Hei mihi, quam breuis est quae nobis ducitur aetas!
Vt fugit, inque modum nunquam reuocabilis vndae
Labitur! ah miseri! vix paucos fata dederunt,
Et tamen e paucis multos disperdimus annos.
LY. Hei mihi, quam longa est ardenti cernere numen
Vna dies! Vt cor illi tabescit in horas!
Non ita purpurei, curuum quos laesit aratrum,
Deficiunt flores, tactaeque vredine messes.
Finierant. Visi cygnos superasse Myconi,
Quasque nouum volucres audit ver. Tityrus, inquit,
Vsque sibi placeat, seu fagi lentus in vmbra
Formosam doceat resonare Amaryllida siluas,
Seu dicenda suo, (sed quae legat ipsa Lycoris)
Ad Siculos fontes meditetur carmina Gallo.
Dulcius agrestes alter non inflat auenas,
Credo equidem: sed quae coelestes cantat amores,
Haec sonet, haec nostris celebretur fistula campis.

ECLO-

ECLOGA VII.

Thyrsis et Daphnis.

Campus erat: fons in medio, quem plurima fagus
Ambit; ad hunc Thyrsis cum Daphnide, forte sub aestum
Compulerant pecudes, ambo cantare periti,
Ambo diuinis accensi pectora flammis.
Dulcia, Thyrsis ait, ventorum sibila Daphni!
Dulcia de saxo labentis murmura lymphae,
Dulce strepunt volucres; sed vox tua dulcior illis.
Daphnis ad haec: quin tu frontem mihi baccare cingis,
Quando vltra placitum laudas? praeconia, Thyrsi,
Haec tua sunt, te Pierides fecere poetam:
Et tantum tibi nos, quantum vel oloribus anser
Rauca vel argutis concedit rana cicadis.
Si tamen egelida iuuat hic paullisper in vmbra
Mecum vel calamis tantum vel voce ciere
Experiar, quid possim; age carmina tu cane prima.

Car-

Carmina tu cane prima! tuus canet altera Daphnis.
TH. Ludere si calamis, si vocem soluere cantu
Est animus, sit prima Deus sit et vltima nobis
Materies, bone Daphni, regit Deus omnia, terras,
Et mare, cumque suo magalia rustica coelo.
D. Principium rerum Deus est et terminus idem.
Fatorum dominus, vitae, quam ducimus, auctor.
Auctori vitae sua laus, sua semper apud me
Carmina erunt: vos haec memores ediscite fagi.
TH. Adspicis vt segetes agros, vt gramina campos
Laeta tegant, laetae tumeant in vitibus vuae?
Omnia sunt illius opus: nisi fauerit ille
Nec segetes veniant agris, nec gramina campis.
D. Adspicis, vt torrens modo terris incubet aestas
Aeris vt vitio pecudes moriantur et herbae?
Omnia sunt illius opus: si respicit ille
Descendent pluuiae, superabunt flumina ripas.
TH. Ver pulchrum, cum se terris noua gramina tollunt,
Cum redeunt flores: pomis auctumnus et vuis
Pulcher; at vt fuerit notus tibi conditor horum
Nec vernum decus, auctumni nec munera laudes.
D. Pone inter coeli facies, seu nocte fugata
Aurora in roseis effert se lutea bigis:
Aurea seu serus succendit sidera vesper.

Si

Si ad Dominum spectes, iam coelum et sidera sordent.
TH. Omnia sol lustrat, quouis diffunditur aer:
At quo nec penetrat sol nec diffunditur aer
Praesens numen adest; frustra fugit et sua quisquam
Sperat in obscuris abscondere crimina siluis?
D. Omnia sunt certas sortita ab origine sedes.
Flumina amant pisces, montes animantia, coelo
Gens hominum nata est; frustra hic sibi conserit hortos,
Frustra aliquis multos vitae sibi postulat annos.
TH. Terra vale: totus coeli succendor amore.
O quoties illuc, et quae suspiria mitto!
Non ita letali confixus arundine ceruus
Sepositi fontis gelidas adspirat ad vndas.
D. Tityre balantes audisne in ouilibus agnos?
Absunt iam nimium matres. Absentibus agni
Matribus vt moerent, vt matres, Tityre, quaerunt,
Sic absente Deo moeror consumit amantes.
TH. Solus amans nouit, quo claudat funere vitam.
Res amor est violenta; mori nos denique coget.
Atque vtinam cogat! crescet post fata, nec illum
Vincere mors poterit, quamuis mors omnia vincat.

D. Solus amans nouit, qua spe sua tempora ducat.
Quas segetes aestas, annus quae vina daturus
Serior, in dubio est: fallunt sua saepe colonos,
Pastores sua vota. Deus non fallit amantes.
TH. Non tenerae ventos coryli, non frigora myrti,
Vinea grandinibus mixtos non sustinet imbres.
Nec mihi fert tantos animus, quibus aestuat, ignes;
O amor! o nostras moderatius vre medullas!
D. Non saturantur aquis pisces, non rore cicadae,
Nec volucres cantu, nec apes florente salicto;
Nec mihi sufficiunt quibus intus amoribus vror.
O amor! o nostras violentius vre medullas!
Talia cantabant pueri, dulcesque fouebant
Pectoribus flammas, et fletibus ora rigabant.
Audiit et vitrea flauum caput extulit vnda
Pastorum insolitos Scaldis miratus amores.

CV.

GVLIELMI MASSIAEI

CARMEN

CAFFAEVM.

GVLIELMI MASSIAEI

CARMEN.

Caffaeum.

Vt primum in noftras Caffaeum venerit oras,
Diuini laticis quae fit natura, quis vfus,
Quam praefens homini contra genus omne malorum
Auxilium ferat, hinc facili defcribere verfu
Incipiam. Vos o blandi, vos faepe liquoris
Vim dulcem experti, fi nunquam veftra fefellit
Vota, nec euentu fpes veftras lufit inani,
Efte boni, et noftris facilem date cantibus aurem.
Tuque adeo, cui vim herbarum plantasque falubres
Noffe datum, et triftes membris depellere morbos,
Adfis Phoebe fauens; nam te quoque muneris huius
Auctorem effe ferunt: populis tua pandere dona,
Et totum late liceat vulgare per orbem.
Trans Libyam longe, et tumidi feptem oftia Nili,
Qua fe Afia immenfis aperit laetiffima campis;
Diues opum variarum et odoris confita filuis

Pendit se regio; veteres coluere Sabaei.
Credo equidem, natura, parens illa optima rerum,
Hanc sedem ante alias tenero dilexit amore.
Hic semper coeli spirat clementior aura;
Mite soli ingenium; hic alieno tempore flores,
Et foetus varios grauido parit vbere tellus,
Cinnamaque et casiam, myrrhamque et olentia thura.
Illas inter opes, et ruris dona beati,
Ad solem medium conuersa, austrosque tepentes,
Sponte sua superas arbor se tollit in auras,
Nusquam alibi veniens, priscisque incognita seclis.
Illa quidem mole haud ingens, non brachia longe
Diffundit patula, aut coelo caput ardua tollit.
Verum humilis, myrti in morem lentaeque genistae,
Surgit humo; dites curuat nux plurima ramos,
Parua, fabae similis, pallenti fusca colore,
Quam tenuis medio distinguit cortice rima.
Hanc adeo nostros plantam traducere in agros
Multi tentarunt, atque omni educere cura,
Nequicquam: neque enim studio votisque ferentum
Respondit seges, et longum frustrata laborem
Ante diem in tenera radix exaruit herba:
Seu coeli hoc factum vitio, siue inuida tellus
Sufficere apta neget peregrinae pabula plantae.
Quare age, Caffaei quisquis capieris amore,

Ne

Ne te, Arabum longe ſummoto ex orbe, ſalubrem
Arceſſiſſe fabam pigeat: namque illius alma
Haec patria eſt: blandus primum e regionibus illis
Per gentes reliquas fluxit liquor; inde per omnem
Europam atque Aſiam, et totum diffunditur orbem.

Ergo quod ſatis eſſe tuos cognoris in vſus,
Tu longe ante para: largam ſit cura quotannis
Colligiſſe penum, et parua horrea prouidus imple.
Vt quondam, multo ante memor prudensque fu-
turi,
Colligit e campis ſegetes, tectisque reponit
Agricola, et curas venientem extendit in annum.
Nec minus interea reliqua eſt curanda ſupellex:
Vaſcula ſorbendo non deſint apta liquori,
Ollaque, cui collum anguſtum, ſub tegmine paruo,
Cui ſenſim oblongum venter turgeſcat in orbem.
Cum prouiſa tibi haec fuerint: ſit proxima cura,
Et torrere fabas flammis, et frangere toſtas.
Nec ceſſet multo contundere malleus ictu,
Donec duritiem ponant, penituſque ſubactae
Exiguus fiant puluis: quem protinus abde
Aut ſacco, aut tales fabricata pyxide in vſus,
Et corio inuolue, ac molli circum illine cera,
Ne pateant rimae anguſtae, occultique meatus;
Quos niſi praecludas, furtiuo tramite ſenſim
Particulae tenues, et quicquid purius extat,

Totaque vis vacuas abeat dilapsa per auras.
Est etiam paruae in speciem caua machina turris,
Quam dixere molam; tostae qua munera frugis
Atterere, et crebro possis contundere frictu.
Nucleus in medio, facili versatilis axe,
Aenea contorquet stridente volumina buxo.
Scilicet axis apex capulo transfixus eburno,
Qui manibus versandus erit, per mille recursus,
Mille per et gyros nucleum ciet. Huc vbi glandem
Iniicies, capulumque manu currente rotabis,
Haud mora, sub multo raptim crepitantia morsu
Pulueris in morem minui mirabere grana.
Quae contusa semel gremio capit hospite cella
Inferior, capsae fundo interiore reposta.
At quorsum haec autem circum leuiora moramur?
Nos maiora vocant. Iam dulcem haurire liquorem
Tempus erat, seu cum primi sub lumina solis
Mane nouo poscit ieiunus pabula venter;
Splendida seu lautae cum post conuiuia mensae
Oppressus nimia stomachus sub mole laborat,
Externique impar petit adiumenta caloris.
Ergo age, supposito cum iam olla rubescit in igne,
Iamque tumescentem commixto puluere lympham
Cernes circum oras feruescere; subtrahe flammis.
Ni facias, subito exundans erumpat aquae vis,

Et

Et laticem inclusum subiectos spargat in ignes.
Quare, ne similis tua turbet gaudia casus,
Sedulus obserues, cum iam se non capit vnda,
Exultatque aestu: dein ollam terque quaterque
Redde foco, medio dum puluis in igne vaporet,
Atque superfusae penitus se immisceat vndae.
Arte coqui debet blandus liquor, arte bibendus,
Non quo more solent alios haurire liquores.
Namque vbi fumantem rapido subtraxeris igni,
Et sensim fundo faex tota resederit imo,
Non illum impatiens vno libaueris haustu:
Sed potius sorbe paullatim, interque bibendum
Dulces necte moras, et longis tractibus hauri
Exsugens, dum feruet adhuc, vritque palatum.
Tunc etenim melior, tunc intima permeat ossa,
Et sese penitus praecordia in ima, medullasque
Insinuans, vegeto membra irrigat omnia succo.
Saepe etiam e fundo quae sursum purior aura
Exiliit, totis illam excepere trahentes
Naribus; in dulci tanta est nidore voluptas.
Iamque hic restabat nostri pars altera coepti,
Diuini occultas laticis recludere vires.
Eximias sed quis speret comprendere dotes,
Et tam magna sequi miracula posse canendo?
Namque vbi secreto penetrauit in ilia lapsu,
Intus agens sese, vitalem in membra calorem

Inspirat, laetumque afflat sub pectore robur.
Tum si quid crudi est, admixto concoquit igne,
Occultásque vias paullatim, et tenuia laxat
Spiramenta, quibus se trudat inutilis humor,
Et totis fugiant morborum semina venis.

Quare agite, o! vestrae vobis si cura salutis,
Vos queis propendet triplex in pectora mentum,
Qui tardum magno trahitis molimine ventrem,
Vos decet inprimis calido indulgere liquori.
Namque malam humorum, quae vestros obruit artus,
Colluuiem coquet, et sudoris corpore toto
Proliciet riuos: nec longum tempus, obesi
Paullatim tumor incipiet decrescere ventris,
Oppressosque artus iniusta mole leuabit.

Felices populi, quos primo lumine Titan
Adspicit exoriens! Hic Bacchi largior vsus
Non vnquam nocuit: laticem libare Lyaeum
Lex et sacra vetant: Caffaeo hic viuitur: ergo
Hic laetis agitant florentes viribus aeuum,
Et quid sint morbi ignorant, quid filia Bacchi
Lautitiaeque comes podagra, et quae foedere pacto
Innumerae nostrum pestes grassantur in orbem.

Nec minus et tristes pellit de pectore curas,
Exhilaratque animos almi vis blanda liquoris.

Vidi

Vidi aliquem, dulci sese cum nectare nondum
Proluerat, lento taciturnum incedere gressu.
Triste supercilium, et tetricis frons aspera rugis.
Idem vix dulci guttur profuderat haustu,
Haud mora, contractae fugiebant nubila frontis,
Gaudebatque omnes salsis adspergere dictis.
Non tamen hi quemquam risu affectantur amaro,
Nec liquor innocuus laedendi inspirat amorem.
Virus abest, blandique placent sine felle cachinni.
Atque hic in toto mos est oriente receptus,
Iamque peregrinum in terras, Galliae, morem,
Potando in vicis Caffaeo publica tecta
Vt pateant. Inuitat euntes pensile signum,
Aut hedera, aut laurus. Huc tota ex vrbe frequentes
Conueniunt, et grata diem per pocula ducunt.
Cumque semel tepido incaluit mens icta vapore,
Tunc rixae dulces, iucundaque iurgia gliscunt:
Fit strepitus, festo resonat vicinia plausu.
At nunquam epotus mentes liquor obruit aegras.
Quin potius, si quando oculos sopor vrget inertes,
Mensque hebet, et torpent obtusae in corpore vires;
Somnum oculis, segnem fugat imo e corde veternum.
Quare his profuerit dulci se adspergere rore,

Queis

Queis longi incumbit series immensa laboris,
Quosque opus est studium in seras extendere noctes.
Atque hic, quis blandi laticis monstrauerit vsum,
(Nam virtus latuit multos ignota per annos)
Expediam, et prima, repetens ab origine pandam.
Ducebat teneras ad pascua nota capellas
Pastor Arabs; illae errabant per deuia tesqua,
Tondebantque herbas; multis cum turgida baccis
Nusquam visa prius, sese illis obtulit arbor.
Continuo, vt poterant humiles contingere ramos,
Incipiunt crebro frondes conuellere morsu,
Et teneros carpunt foetus: inuitat amaror.
Nescius interea molli sub gramine pastor
Cantabat, siluisque suos narrabat amores.
At postquam exoriens campis decedere vesper
Admonuit, saturumque gregem sub tecta reduxit,
Sensit oues molli non claudere lumina somno,
Sed mira praeter solitum dulcedine laetas
Per totam noctem saltu exsultare petulco.
Obstupuit subita trepidus formidine pastor,
Atque haec fraude mala vicini et carmine demens
Ac magicis fieri putat artibus. Haud procul inde
Augustas sedes secreta in valle locarat
Sancta manus, Fratrum, queis Diuum psallere laudes

Cura

Cura erat, et meritis onerare altaria donis.
At quanquam magno per noctem rauca tumultu
Obstreperet campana, sacramque vocaret in aedem,
Illos saepe toro properans aurora morantes
Repperit, oblitos media consurgere nocte:
Tantus amor somni. Praeerat sanctae arbiter aedi
Longaeuus Senior, moderabaturque volentes,
Canitie multa capitis barbaque verendus.
Hunc pastor festinus adit, remque ordine narrat,
Auxilium implorans. Senior sub pectore risit.
Ire iuuat, caussamque rei explorare latentem.
Vt ventum in colles, permixtos matribus agnos
Ignoti cernit fruticis corrodere baccas.
Atque, haec caussa mali, exclamat: nec plura locutus,
Extemplo teretes granida legit arbore foetus,
Fertque domum, tritosque in pura diluit vnda
Igne coquens, pateramque ingentem interritus haurit.
Continuo calor it venis, diffusa per artus
Viuida vis, pulsusque senili e corpore languor.
Tum demum inuento Senior sibi munere laetus
Gratatur, Fratresque bonus partitur in omnes.
Olli certatim, primae sub tempora noctis
Suauibus indulgent epulis, et grandia siccant
Pocula: nec iam illis molli decedere lecto,

Vt

Vt prius, et dulcem labor est abrumpere somnum.
O fortunati, quorum praecordia dulcis
Saepe lauit liquor! Haud illorum pectora segnis
Torpor habet: vegeti praescripta ad munia surgunt,
Et primi gaudent praeuertere luminis ortum.
Vos quoque, queis cura est diuino pascere mentes
Eloquio, dictisque animos terrere nocentum,
Vos etiam blando decet indulgere liquori.
Scilicet inualidum firmat latus; acer in artus
Hinc gliscit vigor, et toto se corpore fundit.
Hinc vestrae veniet noua vis, noua gratia voci.
Vos autem, infesti quos vexant saepe vapores,
Queis aegrum importuna quatit vertigo cerebrum,
Eia agite, in dulci praesens medicina liquore est,
Nec tenues alius melior componere fumos.
Has ipsi, vt perhibent, vires inseuit Apollo:
Res est digna cani. Phoebei montis alumnos
Haec quondam inuasit capiti infensissima pestis.
Grassatur late, cerebroque illabitur imo.
Iam tota hoc morbo gens ingeniosa laborat,
Desertaeque suis languent cultoribus artes.
Pars etiam morbum simulat, fictumque dolorem
Praetendens, vitae sese deuouit inerti.
Displicet ingratus labor; exitialis vbique
Gliscit mollities; curarum operumque solutos,
Securae cunctos iuuat indulgere quieti.

Non tulit vlterius multum indignatus Apollo
Noxia tam blandae contagia ſerpere labis.
Vtque omnem poſthac fingendi vatibus anſam
Eriperet, diti e gremio telluris amicam
Elicuit plantam, qua non praeſentior vlla
Seu feſſum ſtudiis animum reparare labori,
Siue importunos capitis lenire dolores.
O planta, humano generi data munere Diuum!
Non tibi plantarum e numero certauerit vlla.
Te propter noſtro ſoluunt e littore nautae,
Ventorumque minas, ſyrteſque atque horrida ſaxa
Impauidi exſuperant: almo tu germine vincis
Dictamnum ambroſiamque, et odoriferam panaceam:
Te triſtes fugiunt morbi: tibi ſemper adhaeret
Fida valetudo comes, et laetiſſima turba
Garrulitas, rixaeque leues, dulceſque ſuſurri.

F I N I S.

ERRATA.

Pag. 19. lin. 7. lege: magnas. p. 21. lin. 15. quod. pag. 22. lin. 12. viles. p. 23. lin. 20. frutices. p. 24. lin. 24. hirtos. p. 25. lin. 16. Nereoque—Amphitritas. p. 26. lin. 3. saxosaeque. p. 27. lin. ult. Polybotae. p. 31. lin. 12. munibant. p. 32. lin. 2. Rhodanumque. ibid. lin. 20. flumina. p. 33. lin. 2. Audiet. p. 48. lin. 24. Sestlatisue. p. 100. lin. 8. mugitu. p. 112. lin. 9. certare. p. 117. lin. 6. gressus. p. 133. lin. 8. cupressus. p. 134. lin. 9. sacras.

Reliqua leuioris momenti errata L. B. ipse emendabit.



